133

HERACLITVS,

SIVE

MORALES FLETVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


HERACLITVS:
Morales Fletus

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

135

Io: Franciſci Bonomij Bononienſis

HERACLITVS,

SIVE

MORALES FLETVS.

AD

IOSEPHVM BAPTISTAM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIÆ M. DC. LXII.

Typis HH. de Duccijs. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

IOSEPHO BAPTISTÆ

Io: Franciſcus Bonomius

FELICITATEM.

Reciproca ſint beneficia. Nectā-tur ſimul, ſeſeque mutuò reſpiciant, veluti Charites. Qui alienas demetit

laudes, nec alijs ſe-
rit, ſpecimen exhibet
auaritiæ, & dedecoris
plurimum. Laus lau-
dem poſcit. At meri-
torum diſcrimine laus
quoq; diſcriminanda.
Ego tuis laudibus mi-
nor, tu meis longè
maior. Præconiorum
non indiget, qui gran-
dior eſt præconijs. In
Cęlum os ponere non
mediocris eſt argu-
mentũ audaciæ. Quam
ob rem ſilentio te ve-

ne-

neror. Sublimis es Vates, ad tuam celebrandam ſublimitatem ſublimi opus eſſet eloquētiâ. Sereno tamen vultu lugentem hunc HERACLITVM conſolare. Si alienas deflet miſerias, tuis ſub auſpicijs ſecundâ gaudebit fortunâ. Gemebundus Sapiens canēti & Poetæ, & Philoſopho lucubranti iure optimo fuerat nuncupandus. Tibi, inquam, debeba-

tur, qui Liuorem Heraclitũ reddidiſti. Queritur enim non ſine eiulatu, nihil in te obiurgatione dignum inueniſſe. Nolo plura, ne meos derideat, antequam humanitatis errores collacrymetur, Heraclitus. Vale

Bononiæ Prid. Kal. Maij M. DC. LXII.

LE-

LECTORI.

IGnauorum deſidia litterarum amantibus inimica ſemper deſæuijt. *Axioma hoc vero verius habeto, mi LECTOR. Id paſſus tibi affirmo ipſe, qui ſi virtutibus deſtituor, magna tamen in me feruet diſcendi cupiditas. Hinc quotidie, vt noſtî, aliquid ſcriptito, non vt illam, quam demereor, conſequar Immortalitatem, ſed vt eas à me excutiam calumnias, quas nonnulli nimis for-*

taſſe indocti, & liuidi frequenter alijs tentant inurere. Vt nobiliùs quàm poteram vlciſcerer, hanc HERACLITI Proſopopœiam ſuſcepi, munere tanti Sapientis mihi viſo talium Momorum, penè dixerim mimorum, immodeſtos mores reprehendere. Indecens ſum ratus me ipſum magiſtrali armatum ferulâ tali hominum ſectæ rigoroſo ictu os occludere. Frons mihi ad eorum fronti occurrendum non deerat. Optimum cenſui, ne illorum in numero & ipſe cenſerer, glorioſis etiam actionibus ad vindictam recurrere, & meos amarores, ne illorum

di-

dicam nequitias, allacrymari. Blandæ huic, & laudabili quodammodò vlciſcendi formulæ, candide LECTOR, *applaude. Ab ea indolis rectitudine mihi ſufficitur, qua ab ijs Criticantium moribus ſecedo, qui aſſiduè in officinis conuentum agere ſolent, vt eos, & eorum, qui ſtudijs viuunt, partus dilacerent. Incaſſum tempus proijcitis, rabidi Vultures.* Virtus, ac Bonitas offenſionem non trepidant. *Nî bene agendi facultate Vos careretis, vt maledicendi exuberatis proteruitate, minus profectò in aliorum Operibus erodendis dies integros*

contereretis. Quoad me, quamuis penitus doctrinæ ſim pauper, mea inter otia nec ſatis quidem temporis ad paucula percurrendum volumina reperio. Quàm magna inde veſtra ſint ſtudia argumentor, qui huc illuc, vt fert rumor, in gyro eſtis perpetuo. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. *Pol igitur diu in Libris commoramini. Quodnam ergo ſupereſt tempus, ad eas, quas vociferamini, Librorum farragines extruendas? Coo veritatem agnoſcenti fidem porrigite.* Ars longa, vita breuis. *Verum eſt quidem exiguis ſemper Libellis me in lucem exire. Sed*

vi-

viuentis Ingenij reſcriptum audite;

Componunt vnum plurima, pauca ſatis.

At veſtra ex parte, Pauco indiget qui toto indiget. *Ad primum reuertamur. Aſsiduò otiamini, & ſublimis Scientiæ homines voſmet iactitatis. Qua id mihi ſuadeam ratione? Aut tam velox ad cognoſcendum vobis eſt intellectus, vt vix membranis libros cooperientibus inſpectis, quidquid continent ſubitò addiſcat; aut magis ſapientia veſtro ſolùm regyrat in capite, quàm innumeris in linearum ambagibus euolua-*

luatur. Proſit, o excelſæ Virtutis Viri. Vos humiliter venerer, non modò quòd ea, quæ mihi deeſt gaudenti ingenij vi polletis, ſed etiam quòd prudenter veſtra Opera, quæ domi ſcripta teruntur, in lucem edere hac ætate reſpuitis, qua illis idonei deſint Lectores. Optimè quidem ſic agitis. Solùm ad communem Litterarij Orbis commoditatem vos deprecor, vt quæſo à tineis immunia diligenter cuſtodiatis. Vaha inſulſi. Vera Virtus carere ſtultitiâ. *Sapientia non eſt quæ vera ſunt falſa oſtendere, quæ falſa vera oſtentare. Si, qualem vobis buccinatis, eſſet*

do-

doctrina, non equidem ſepultam permitteretis. Vera Virtus celari non poteſt. *Ipſe interim à veſtra diſcrepans prudentia, in pluribus Opuſculis ſucceſsiuè in lucem emittēdis, cùm* nonū, *vt dicitur*, preſſa fuerint in annū, *memet curabo edocere, an ſatius ſit (accedite) rūpi cicadas ſtridēdo, quàm gemere columbam ſtudendo. Vt verū tamen omni fatear lenitate, nec flocci quidē veſtras obtrectationes æſtimo, licèt illis quodammodò videar conturbari. In Heraclito ſū Democritus. Scio quòd* laudare, & vituperare eiuſdem eſt improbi. *Quinimò veſtræ debacchan-*

chantes calumniæ ad ſtudioſos labores magis impellunt. Me incautè audetis deprimere, verùm ad glorioſos ſudores animando, illam quoque diem, qua vbi exilis eſt Virtus magna videatur, per vos venturam non deſpero. Solùm viuos ærugo carpit Liuoris. Hinc à vobis cùm mordicer, mortuum omninò me ingenium, vt eſſe fateor, ampliùs non eſſe mihimet adulabor. Vobis igitur Pædagogorum quiſquilijs pro veſtris vapulationibus grates refero, non modò quòd huius generis malignorum depreſsiones exaltationum loco haberi debeant,

ſed

ſed etiam quòd immortales charites pro conuicijs agere teneatur, qui proficuis afficitur contumelijs. Malè ait qui benè non agit, *inquit ille. In hoc vos à vobis diſcriminamini, qui non benè, nec malè agitis, ſed ſemper maledicitis, cùm tali ſpiritu deſtituamini, qui nec verbum quidem eruditum valeat efferre. Ipſe, vt præclarum improperij ſaxum proijciam, Lydium vos lapidem appello, cuius oppoſita nigredine aureæ Virtutis ſpecimen magis eluceſcit. Eia igitur quantum libet gladio parietem percutite. Nitrati pulueris fumo veteranus Miles non trepidat.*

pidat. Pecudum humano in corpore viuentium belatus non horreſco. Vnus coquus non metuit multas oues.

Supereſt mihi, benigne LECTOR, vt de eo, quod in principio dicendum hunc vſque ad finem tranſtuli, te nunc moneam. Aequi bonique facias quodquod à vetuſtate declinat axioma. Memineris Antiquum fuiſſe Heraclitum, *noſtrates tamen hos* Fletus; *has nunquam Lacrymas interrumpi, quòd fleuerit inceßanter; & Scriptorem æthnicè loqui., ſed Catholicè ſentire. Lege, & Luge.*

Del

Del Sig. Ludouico Tingoli.

Commenda l'Eraclito, con allude-re all' Opere tutte dell' Autore.

TRaſmutati, o BONOM, gli Aonj riui
In sì ſoaue Nettare verſaſti,
Ch'ebbri girne gl'Ingegni ancor più ſchi-(ui,
Non ſenza riſo, ad hor ad hor miraſti.

Con Imagini noue indi auuiuaſti
De gli Egizj i Miſterj, e de gli Achiui;
E trà Larue erudite altrui meſtraſti
Ciò, che meglio Alma ſaggia abbracci, ò (ſchiui.

Co'terſi Inchioſtri tuoi rendendo hor chiaro
Del tetro EFESIO il lagrimoſo vmore,
Specchio à i mali ne fai del Mōdo ignaro;

Quinci trè ſerti d'immortal ſplendore
T'offre, trè volte giuſto, il Dio di Claro,
Ne'dotti Regni, o Gerion d'Onore.

P. Hip-

P. Hippolyti Graſſetti Mutinen-ſis è Soc. Ieſu.

Ad Auctorem Libri Carminum, Chironis Achillæi, atque HERACLITI

Io: Franciſcum Bonomium Bononienſem.

(Chiron,
SEu vates modulere, feras ſeu dogmata
Seu HERACLITVS gaudia cæca fleas,

Te paſſim magno ſapientia geſtit alumno.
Ecquid, vt amplifices te mage, reſtat ad-
(huc?

Si Triſmegiſto Nilotica terra ſuperbit,
Nil minus in gremio Felſina docta fouet.

Idem ad Eundem de Heraclito, ſeu fletibus moralibus.

(ſus vt iſto
TAm benè cæca virùm fles gaudia, pror-
Illa viri poſſint naufraga velle mari.
(nores
Gurgite id haud poſſent vaſto, Neptune. Mi-
BONOMII ingenio, ſecla, ſtupete Deos.

Del

Del Sig. Co: Girolamo Graziani.

SCena di pianto è queſta vita humana;
Bagna di pianti i primi ſuoi vagiti
L'Huomo, e d'amaro piãto infauſti inuiti
Dure faſcie gli ſon, ſferza inhumana.

Frà moleſti deliri, e ſpeme vana
Guidano à lagrimar ciechi appetiti,
E par, che à gara à lagrimar ne inuiti
Il crudo Amore, e la Fortuna inſana.

Dunque ſe gli occhi giro in ogni canto,
Viſti per lagrimar diuerſi oggetti,
Con HERACLITO anch'io m'accordo al
(pianto.
BONOMI, e pur ſe ne i tuoi ſaggi detti
Heraclito fauella, io godo, e canto;
L'Eloquenza Reina è de gli affetti.

P. Sul-

P. Sulpitij Maruffi è Soc. Ieſu.

Ad integerrimum Virum

Io: Franciſcum Bonomium

Lacrymas ſuas ad Orbis eruditionem ab Heracliti Oculis exprimentem.

BONOME, *Palladij ſydus ſpectabile Cœli*
Aſtrorum lacrymas quàm bene flendo (refers.
In lacrymas diluta liquãt ceu ſydera gẽmas,
Sic pluit è Lacrymis plurima gemma tuis.
BONOME, *flere iuuat, pretioſum vt colligat (imbrem*
Sub tanto effectum Sydere Concha ſolum.

Del

Del Sig. Franceſco Carmenj.

Loda l'Eraclito, alludendo à i Virgulti di Lauro Poeſie dell'Autore.

FRà VIRGVLTI DI LAVRO il piè vagante
Pria portaſti di Pindo à l'alte cime.
Non pago poi di queſte glorie prime,
Moui per altre vie feruide piante.

Se canti con Apollo, ò lagrimante
Con ERACLITO ſei, ſempre ſublime
In Latie proſe, ed in Etruſche rime
Sei fama eterna ad acquiſtar baſtante.

D'oblio mortal l'inuidioſo telo
Anch'io vorrei fuggir con doppio vanto,
Ma dietro à tue bell'orme in vano anhelo.

Già il Ciel ti diede impietoſir co'l canto
L'alme più crude. Hor ti concede il Cielo
L'alme più dure intenerir co'l pianto.

D. Ioannis Caroli de Notarijs.

(rellis
FElices Sylua, quibus his *reſonare* Que-
Contigit, atq; Feras mollificaſſe truces!

Felices Homines, quibus hos diſcernere Fletus
Sors dedit, & propriũ hoc imbre lauare ne-
(fas!
O Lacryma, o Fletus! Pro quanta eſt flere voluptas,
Si talis tanta Et Gaudia Fletus *habet!*
(NOMI,
Ergo HERACLITVM fac ſemper flere BO-
Vt moderere Vrbes, vt Nemora ipſa regas.

Fac flere, & quid ſit maius tũc poſtea cernes,
An domuiſſe Homines, an docuiſſe Feras.

Del

Del Sig. Floriano Maluezzi.

E Qual giugnemi al Cor pianto ſoaue,
Ch'ogni nube da lui ſgõbra importu-
Onde più de'rei Vizj egli non paue, (na,
La mercè altrui, empia ſaetta alcuna?

Anzi hor meno à me par moleſto, e graue
Quanto d'infortunato il Mondo aduna:
,, Che l'Huomo hà quanto vuol, ſe vuol quant'haue,
Viua d'Onori amante, ò di Fortuna.

Quinci è ben degno vanto ogn'hor ſcolpito
In petto auer, che vn pianto val ben nato
Col Cielo ſteſſo à ſtabilir partito.

Poiche, BONOMI, diſcoprir m'è dato,
Che con l'EFESIO tuo pianto erudito
S'io saprò lagrimar, ſarò beato.

D. Io:

D. Ioannis à Tibia Brux:

(quidquid
CVr fles BONOMI, nunquid riſibile
Flebile? ſubride, flebile ſi ſit homo.
(bem;
HERACLITVS fleuit, riſit Democritus Or-
Quis fuerit finis, qua ratione capis.

Non rides, ſed flere ſapis: meditatio Mortis,
Viuere quid noſtrũ, quàm bene flẽdo doces.

Naſcimur heu flendo! flẽdo morimurq; docẽdi
Quid ſit homo: vilis qui niſi vermis inops.
(cere eſt
Flere docere tuum eſt. Haud omnis flendo do-
Sed ſolùm eſt HOMINIS flendo docere
(BONI

HE-

HERACLITVS,

SIVE

MORALES FLETVS.

Cenſus Humanitatis lacrymæ.

HEV quouis iure, quouis actu, quouis tempore lacrymabilem ſemper, & vbique Mortalitatem! Vndequaque in-

Digitized by Google

docilis, imbecilla, cæcutiens, quò ſuperbiâ tumidior, eò conſilij indigentior, cuncta audes, nihil potes. Quacunq; gaudeas conditione, o quantùm tui me ſemper miſeret, ſi modò miſerationem meretur, ac poſcit, qui proprijs infortunijs ſub bonum fuco latentibus lætatur, exultat! Ecqua ætatis atomo, mendacijs abſolutus, felicem te fatear? Si, incurioſo vel lumine, Iuuentutem, quæ melior tuæ pars videtur, intueor, o quot defectus, quot errores, quot dementias in ea collacrymor! Tunc temporis, omninò inſcia,

ſcia, omnia oſtentas; decernis, nec diſcernis; & bacchantis genij ductu aberrans, operaris bruti inſtar. Malum diligis, bonum negligis, tuam perniciem ſectaris. Quantò ſatius foret, te potiùs puritate candeſcere, quàm fuluam vitijs nigreſcere, ſi flauentium auro cincinnorum tibi duntaxat emis præcipitia; potiùs tãquam in trunco langueſcere, quàm in flore vegetari, ſi tibi ad citiùs marceſcendum inſeruit efflorere; ac potiùs gelu, quàm calore abundantem vigere, ſi hic te ad malum tantummodò incendit, ad bonum efficit

areſcentem! Tu maturę theoretices indiga, practicâ deſtitueris cognitione, licèt poſtea te cautam iactites, ac ſapientem. Ecquis licentiam tuæ non defleret ignauiæ, o vana, o audax, o inſolens? Tuarum animi commotionum intemperiem effrænis iam cohibe. Committe, committe iam rationi affectus tui calcitronis indomiti habenas moderari, non ſenſibus. Alioquin, ad ruinas vehêris inſenſibiliter. Illius manui cede, ac probè dirigêris; ferulam time, & docilis euades; calcar nè renue, & melior tuis curſibus

bus meta ponetur. Quæuis affectio ſeruilis eſt, & quicquid huic non abſimile, homine indignum ſemper fuit. Sed quid in impudentia ipſa erudienda tam immodicè exagitor? Heu ſat nunquam lacrymabilem Adoleſcentiam, in tuis cęcam iudicijs, in medijs variam, in determinationibus inconſtantem! A felicitate, quam fruſtra quæris, longè abes, quòd hìc gentium non ſit; & calamitatibus, quas contemnis, proximè ades, quia ſat eas non præuides. Quodnam te bonum felicitat, quod certè tuum ſit, quan-

quam pro certo omne bonum,prærer verum,ſtultè amplexeris? Quænam ad te perfecta peruenit voluptas, licèt vt perfectam omnem corruptiorem conſuetudinem inſecteris? Quodnam ſuaue oblectamen delibas, quantumuis te Deitatis amantem decantes? Eia fide, fide te tibimet, ac magis ſemper deluſam te noſces, cùm minùs cogitaris. Ah humana cuncta diſpereunt illico: ſi vices habent. Nox diem oprimit;in noctem deſinit dies. Æſtatem Autumnus ſubſequitur, Autumnũ Hyems. Et licèt Ver primum,

lu-

Iuuentutis effigies, cunctis temporibus ſe iactet amabilius, floridas illius pompas breui marcores aggrediuntur. Qui Aurora exoriente, gemmatus rore, vireti delicium, flos ridet; declinante Sole, olfactus faſtidium, languentem declinat ſuperbiam. Ariſta quoq; camporum gaza, cùm optatum magis oſtentat theſaurum, metenti falce reſcinditur. O dolores miſerandos ſeſe in voluptatum culmine falsò exiſtimanti verè imminentes! O amaras dulcedines, nauſeã potiùs, quàm delectamen excitantes; fragilis vitri

lapillos, magis mendaces quò magis lucidos, intereat qui vos cupit, qui vos æſtimat, qui vos ſequitur! Iure quidem merito optabilem te faterer, Iuuentus, ſi tuimet, tuarumque dotium ſecura dominatrix fores; ſi tui certa boni agnoſcereris; ſi iniurijs, inſidijs, languoribus, tempori, fortunæ, ac morti non ſubiaceres. Si ſapiens, prouida, ac conſtans; nec volubilis, incurioſa, ac ignorans poſſes, vt nequis, nuncupari. Felix igitur, qui te caret, qui te negligit, qui te odio, non amore proſequitur. Qui annorum beneficio, tuas

non horret inſidias; & qui, vno verbo, ad portum euectus ſenectutis à volubilium cogitationum Cyaneis vitam ducit incolumis. Piget me, piget ſatis lacrymarum ab hiſce luminibus non defluere, vt ſatis tui ſtatus miſerias poſsim deflere; neque ſatis tui ſtatus miſerias poſsim deflere; neque ſat ſuſpiriorum ab hoc ore exhalari, vt ſatis eas ingemiſcam, languoris quippe vehementia reſpirationem ſuffocat, & ſub hac Silice me ſilicem linquit contriſtatam. Attamen cor ſpiritum tandem reſumit, dum meam percurrunt men-

tem immenſa pondera, quæ miſeram grauant humanitatem, vincula quæ adſtringunt; atque hoſtes, qui circundant; mecumque, tanquam vices cunctorum hominum ſolus geram, ſic alloquor.

Heraclite, vnde noſti, cænum contrarijs conglutinatum, tuæ, demens, ambitionis fundamen ſupponere, niſi ex apparenti mortalis vitæ pulchritudine, animæ excellentiam nil curans, quæ contemplatrix beatitudo nuncupatur, è qua, iuxta me priùs philoſophati ſententiam, vera emanat felicitas, quippe quæ in-

per-

perfecta, non ciuili ſolùm, conſiſtit vita, licèt illa quoque ſuas non demereat commendationes, cùm humanè, & nō ſine virtute quidem ſit viuere, ſi non prorſus ſuis careat maculis? Quid aliud homo eſt, quàm embryo, nudus materna ex aluo ad temporum viciſsitudines emiſſus? Quocunque in terris degente mendicior propter confuſam nuditatem, quam ſi amat obtegere, neceſſe eſt, vt animalibus ipſis, quorum eſt dominus, inſeruiendo, idoneum perquirat indumentum.

Primo ab ortu, inermis li-

cèt, ſibi vagitibus bella indi-
cit; à nutricibus non intelle-
ctus, omni caret auxilio, om-
nibus indiget. Vix vtero ela-
pſus, ex neceſsitate in faſciolis,
oſsibus imbecillis, membris
infirmus, ac luminibus clauſis,
tanquam carcere illaqueatur.
En ſubi ò papulis, tuberibus,
alopecijs, alijſque puerilibus
morbis ſubijcitur. Vt pedi-
bus regatur, rationi incum-
bere ipſi non ſufficit; imò cùm
ſola intellectus allucinatione
perfruatur, in illa ætatis indi-
ſtinctione magis illum obte-
nebrat, quàm illuſtret; & pro
ductu, præparat præcipitia.
Qua-

Quapropter minùs periculorum æſtimator, & magis periculoſus aſpicitur. Quin-etiam rerum omnium prouida auxiliatrix Natura homini, cui ratio imperat, tam diligenti non ſuccurrit directione, qua brutis ea carentibus ſubuenit. Scit, quòd hæc nunquam ad aliquid mouentur, niſi ab ipſa impellantur; aut ſaltem ſæpiùs ipſi famulantur, quàm genij deſiderio voluntantis, qui humanæ voluntatis frequens eſt motor. Ad ambulandum tardus, tardior ad ſui animi cupiditatem exprimendam, tardiſsimus ad vti-

lia

lia ſibi intelligendum. Quos in dentium pullulatu languores non experitur? Nonne cernimus ingenti dolorum vſura puſillum alimenti, conditionem ſine qua vita non progrederetur, compenſare? O pietas! Quot moleſtiores vermiculi viuum, & ſanum eroderent, nî Genitricis, vel Lactantium ſedula expurgatrix manus aſsiſteret?

Vix pænè diſtinctis vocibus, en illum Præceptoribus traditum, ſub ferula ſingultientem, ac millenis adſtrictum rigoribus. At ſi tamen tot inter angores fortè non

oc-

occumbit, & ad Iuuentutem perducitur, en effrœnem, Parentum contemptorem, edocentium deriſorem, Licentiæ ludibrium, Sodalium fabulam, ac fœtentem vndique vitiorum cloacam. En violentum in dictis, in moribus prauum, ſuperbum in actibus. En illum tandem iniurijs, ictibus, ac vulneribus laceratum.

Si porrò hæc tam periculoſa euadens, habendi ductus cupiditate, Mercaturam fortaſſe amplectitur, en eum toto in orbe terrarum pererrantem, mille latronum inſidijs expoſitum, facultatum, ac vitæ:

tæ iacturâ conſiderabili. Oceanum exſulcans, ſe, ſuaque naufragiorum certitudini committit incerta; ventorum, vndarum, ac turbinum fit ludibrium. Scopulis, piratis, morti ſubijcitur. Prætereo decoctiones, furta, rapinas, incendia. Quæ cuncta ſi benè fueris trutinatus, & animo, & corpori ingentia afferre damna, cognoſces.

Si poſtea, vt artes Liberales adipiſcatur, Litteris ſe ſe dedit, quos ſudores, quas vigilias, quæ tormenta non cogitur tolerare? Attamen poſt tot capitis perturbationes, poſt

tot

tot cerebri agitationes, ſemper minùs ſapit; quod heri ſcripſit, hodie delet; & quod hodie ſuſtinuit, cras confutat. Quid? A vulgo vt inſanus deridetur, pro melancholico ab amicis notatur, ac tanquam leproſus, aut peſtilens à cunctis expellitur. Verùm eſto, quòd in ſcientijs dignioribus proficiat, quòd Opera Typos merentia excudat, quoniam Liuor, ac Perfidia nunquam interière, audis ſtatim, *Fieri nequit, vt Iuuenes ſapiant*. Vel de nimia immortalitatis cupidine accuſant; vel arrogantiæ reum condemnant;
vel

vel apertum nimis ſui iactatorem vociferantur. Aſſerunt ſtylum illius vel nimis turgidum, vel nimis humilem; in expreſſionibus infelicem, indigum inuentionis, figurarum inopem, diſiunctum in digreſſionibus, ac parum in confirmationibus corroborantem. Aut volunt, maledictæ impulſu inuidiæ, in periodorum rotunditate eſſe incõcinnum, diſparem in ſimilitudinibus, in paradoxis non contrariantem, extra tempus ſublimem, carentem argutijs, eruditionis miſerrimum, & ad ſummum in toto, ac in partibus languen-

guentem, extenuatum, attra-ctum, macreſcentem, proli-xum, rudem, obſcurum, mor-dacem, ſatyricum, nî dicas in omnibus peccaminoſum. O humanarum calamitatum ca-lamitas! Vel gloriosè agendo in oppreſſiones, ac calumnias incidimus.

In quas deinde miſerias nō offendit hic Homo infelix, ſi ſuum Amori exhibet famula-tum? Nunquam in primis quieſcit, nunquam momento tranquillitatis effruitur. In illo quemcunque annorum flo-rem putrefacit, ac paternas fa-cultates conſumit. Per illum, ac

ac illum circum quid non verſat, quid non perdit? Proprias eneruat vires, arcas deplet, ac venas ſæpiſſimè.

Si fato ductus aduerſante, aut potiùs voluntatis ſtultitiâ, maritali ſe ſubdit capiſtro, tunc libertatis aleam iactaſſe ad minus cogites. O ſi prolixâ fœminei ſexus notitiâ non careret, haud profectò tam turbidæ cogitationi propriæ mentis aditum aperiret! Eſſe ſui dominum ſanè faſtidit, qui aliorum poteſtati ſe exoptat ſubijcere. Non hæc ædepol res noctu tractanda. Si parem ſibi Vxorem vir ducit, paria quo-

quoque ſunt iurgia. Si inferiorem,in rixis quidem triumphat, ſed potiùs clades ſunt huiuſmodi victoriæ. Si maiorem, ad maiora excitant prælia animi demiſſiones. Fruſtra in hoc facto queritur, qui poſt factum queritur. Vtrinque malè eſt; nam ſi illa ſuperior, dominium habetur, non ſocietas; ſi minor, vix dominium; aut ſi ſic, ſaltem contumelioſum poſſidetur. Mulier,cui pro ſale, ad hoc vt corpus conſeruetur, anima deſeruit, licèt naturæ ſit defectus, vult eas, quibus caret, in ſe eſſe perfectiones, atque in ea præſum-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſumptione tota fit ambitio. Serpentem Lybia, Crocodilum Ægyptus, Tygrim Hyrcania, Monſtrum Africa ſuperbienti fœminæ comparandum nunquam aluerunt. In ſe ſola omnem illarum, omniumque ferarum congregat feritatem. Tu, in ſyluoſa licèt Montis radice, tantæ moleſtijs Feræ liber es, & luges Heraclite? Mœrores fuga; aut flere ſi deſideras, ſtultitiæ in his calamitatibus ridentium ingemiſce. Auri porrò causâ in eam incidere, eſt diuitem ſibi miſeriam præparare. Id propter, quidquid melius in

ma-

matrimonio eſt negligitur, quod in Parentum fama, in decenti venuſtate, in honeſtis moribus conſiſtit. Qui magnam dotem ſibi ducit, dotem, non mulierem, deſponſat. Quænam inde te adoritur admiratio, ſi tædis tædia, gaudijs odia, lectis lites, tripudijs repudia ſæpiſsimè ſuccedunt? Ecquis tamen auro obcæcatus ſe in tantam calamitatum voraginem voluntariò præcipitari non ſineret? Reminiſcantur Amantes, ſimul diuitias, ac ſolatia non coire. Maritum ab Vxore nil amatum credas, hanc domum ef-

fu-

fuge; Infernus eſt. Nimis di-
lectum effingas, hanc, inquã,
effuge; extremum nullum du-
rabile. A nimis ardenti, aut
odio, aut amore, æquè inſi-
diarum ſuſpiciones, honoris
zelotypiæ, & ſi quid peius hìc
gentium extat, nunquam ſe-
gregantur. Neque hic ango-
ribus finis imponitur. Hoc
in ſtatu aſſidui campus belli
domus coniugatis efficietur;
nam certamen gerere inteſti-
num ſæpiùs cogentur; perpe-
tuis litibus menſa in tribunal
mutabitur, vnde alentur ama-
ritudinibus; Martis potiùs,
quàm Cupidinis vallum red-
detur

detur thalamus, nam verè prælium committere cogentur, nî prudentiâ, ſicuti exoro, etiam atque etiam vtantur. Si quis velit Sponſam flagris cædere, eſt ad ſummam iniuriarum eam deuincire. Itaque tam in pace, quàm in bello, miſerum ſemper hominem curarum erodet lima; immutabilis arbitrium premet dolor; cordiſque intima perennis obſidebit oppreſſio. Honeſtatis poſtea re vera leuet velarium, ſcandalorum, calamitatis, furorum, deſperationis tetricũ inſpicietur proſcenium. Potiùs in ignis barathrum ſe

viuum detrudi, quàm tot damna perpeti minoris pendet. Audi inenarrabilem humanæ inſipientiæ ſtultitiam! Circunfert Fama nonnullos tam dementes fuiſſe, vt ignominiam auri pretio ſibi emerint, præuijs ſcilicèt donis aliquos vt ſuas Coniuges fideliter tentarent deprecando. Et iure merito coronam tentatis debitam trophœis reportarũt. Quid, Homo, alios amando tibimet inimice, incertum aggrederis ludum, in quo certa iactura, in quo totum exponitur; &, cùm etiam totis viribus Sors arrideat, quod rarum,

rum, ex nihilo totum quod acquiritur conſtat?

Oh, dices, inter perfectionis gradus non infimum tenet Continentia, dos animi pęne dixerim omnibus præſtantior; quippe quæ, cùm à maiori humanitatis deſtructore, carnali videlicet appetitu, aduerſitatem ſemper patiatur, quò difficiliùs vincit, eò glorioſiùs triumphat. Ea maior eſt diſpoſitio, quæ ad aliarum ſublimiorum Virtutum adeptionem nos dirigat, nam intellectum inter laſciuię immunditias inuolutum non obturpans, ad altiores con-

templationes liberum illi aditum recludit. Sine rationis iactura, imò illius progreſſu, ſemper ad indiuidui tendens conſeruationem, nos in viam eorum habituum ponit, qui homines reddunt ſpectabiliores. Si igitur talis eſt, ad illius poſſeſſionem, tanquam ad theſauri effoſſionem, libenter exſudandum. Ecquis ad hoc modus reperitur melior, quàm mulier, quæ magico Amoris artificiò ſe tibi, vt ita dicam, identificans, dilectionis lege deuincit, ne ab ipſa tranſuerſum vnguem diſcedas, [illegible] te huic, illique vitio com-

committas, manifeſto rei, famæ, ac vitæ ipſius periculo? Et ſi mutua quandoque voluptas, cui tunc Incontinentiæ labes non eſſet inurenda, ad Senſûs allicit delicias, hæ vtiliores, quàm nocuæ; magis neceſſariæ, quàm indecentes. Ad ſpeciei conſeruationem has poſtulat Natura. Et quidquod hæc poſtulat, irreprehenſibile.

Ad hæc vt reſpondeam, ſublimis, fateor, eſt Virtus Continentia. Hominis & corpori, & menti prodeſt. Alteri, quòd à languoribus, morbis, deriſionibus, illud ſubtra-

hat ; Alteri, quòd hanc non confundit, non debilitat, non obſtupefacit. Vt talis, & ſemper ad perfectionem tendens, à quocunque, haud ignoro eſt expetenda. Sed quæſo dicas, quo ad Virtutis exercitationes pacto deducitur? Ecquis neſcit id ſolùm non operando euenire? Id porrò non tàm facilè, imò ferè accidit, apud ſe occaſionem, vel, vt veriùs dicam, ſtimulum ſemper incitantem habenti. Si mihi vnum oſtenderis, qui excitatus in ſuis voluptatibus modum non excedat, victis manibus acquieſcam. Quinimò,

imò, Continentia cùm Sobrietatem, Vigilantiam, ac Lenitatem amplectatur, dic ſodes, quomodò non iracundus eſſe poterit, qui ſemper prouocantem ad latus tenet; non ſomnolentus, qui die etiam, nedum nocte, in lectis iacere cōgitur; non lautus, qui conuitatricem, cui lucro eſt cibis vigorem addentibus recreare, concomitatur? Neque pariter aſſerere pertimeſco enumeratis à te periculis eum magis exponi, qui vxore ſe illaqueat, nam quoad facultates, ſæpiùs ad iurgia cum Cognatis venitur; quoad hono-

hat; Alteri, quòd hanc non confundit, non debilitat, non obſtupefacit. Vt talis, & ſemper ad perfectionem tendens, à quocunque, haud ignoro eſt expetenda. Sed quæſo dicas, quo ad Virtutis exercitationes pacto deducitur? Ecquis neſcit id ſolùm non operando euenire? Id porrò non tàm facilè, imò ferè accidit, apud ſe occaſionem, vel, vt veriùs dicam, ſtimulum ſemper incitantem habenti. Si mihi vnum oſtenderis, qui excitatus in ſuis voluptatibus modum non excedat, victis manibus acquieſcam. Quin-

imò,

imò, Continentia cùm Sobrietatem, Vigilantiam, ac Lenitatem ampleƈtatur, dic ſodes, quomodò non iracundus eſſe poterit, qui ſemper prouocantem ad latus tenet; non ſomnolentus, qui die etiam, nedum noƈte, in leƈtis iacere cögitur; non lautus, qui conuitatricem, cui lucro eſt cibis vigorem addentibus recreare, concomitatur? Neque pariter aſſerere pertimeſco enumeratis à te periculis eum magis exponi, qui vxore ſe illaqueat, nam quoad facultates, ſæpiùs ad iurgia cum Cognatis venitur; quoad hono-

rem, in continuo dedecoris periculo viuitur; quoad mortem, aſſidua in luxurie domi conſumitur. Si natura ad ſui conſeruationem reciprocas exigit delectationes, tantùm ab illis auxilium recipit, cùm modicæ ſunt; cùm effrænes, deſtrui periclitatur. Sed qui continentiæ ſpecula poſſint coli, nondum hæc ſæcula cognouere.

Si verò, vt ad primum reuertar, Vxoris neceſsitatem ad familiæ fulcimen homo ſibi ſomniat, finem incertum eſſe in mentem illi reduco, at certiſsimum ducendæ ſemper ob

po-

politicam rationem triſtis vitæ ſibi ſponte periculum eligere. At eſto, hæredes naſcantur. Inquietam ſibi quietem procreabit. Ab vno latere obſtrepentes puellulorum vagitus, ab alio tædioſos, ac petulantes Mulieris, & Nutricium ſtrepitus fruſtra conabitur amouere. Nunc cum illis ludere oportebit, ac repubeſcere; nunc cum his contendere, ac iraſci. O inſulſas dulcedines, o ſpes deſperantes!

At ab his fere ineuitabilibus miſerijs florentem ſuæ ætatis Maium, aut Iulium inco-

lumem quis enumeret. Vnus vel duo, qui proſperam Canitiem, frequenter omnis peripheriam calamitatis attigerint, in tanto viuentium catalogo cenſeantur. Num tam rarum ob exemplar tot malorum ſeriem, quæ miſerũ conturbant, pene dixerim neceſſariò, hominum genus, conticeſcam? Ob id ſolum lacrymas retrudere Heraclitum decebit? Apparentis vmbra felicitatis in aliquibus tantùm ex accidenti ſumpta meos fletus retinebit? Id ædepol nunquam. Luge, luge, ac Oedipum imitans deſperatum, in-

ſu-

ſuriofam clauſis luminibus currens prudentiam, gemitus itera, pectus tunde, crines lacera, pilos euelle, hunc Lapidem verbera, & oculos in miſera verte cordis ſtillicidia.

Sed quò, Philoſophe, quò? Patientiam reſume, in temet redi. Redi inquam. Non ſapiens eſt, niſi qui tempore ſapiens eſſe ſcit. Nec Sapientis munus hoc modo ſapientem non eſſe. Opus quidem eſt Prudentis docto fletu alijs ſuccurrere, non in deſperatos furores tranſcurrere. Turpe eſt à prudentia ſe is eximat, à cuius lacrymis ſe Inuidia non

potuit eximere. Se non oderit, qui tui inſtar cæteris amandus viuit, quia ſe odit. Eum dedecet temperamenti calore, aut fati contingentiâ, extra ſe tranſportari, qui intra ſe ſibi imperat ſuperior. Qui ad aliena lugendum eſt ortus deliria, proprijs aliorum ora nè mutet ad riſus. Sed cur lacrymas mearum calamitatum ſolamina mihi denegem? Iam toto illas à me exigunt feruore tot hominum ſtultitiæ, qui me tanquam inſanientem appellant, deludunt. Nonne fletu dignum eſt intueri diuitias, nobilitatem, ac potētiam

ad

ad dementias, conuicia, iniuſtitias impunè reddere inſolentem? Poteſtas tandiu nobilis eſt, quandiu abſque tyrannidis nota exercetur. Gradus eminentia ſupra humanitatem non ſubleuat. Sanguinis quoq; claritas deprimendo Ruſticitatis nomen, non Vrbanitatis meretur. Sublime genus, nî ſublimibus quoque geſtis adiuuetur, degenerem reddit. Non pariter Gazæ à ſtultitijs, quas opes patiuntur, abſoluunt. Aurum immeritos emere nequit plauſus.

Nonne miſerum eſt, ipſum

in

in iiſdem Virtutibus ſuperbum, ac arrogantem mirari? Sic porrò, quomodo Virtutes dici poſſunt, ſi Vitijs inficiuntur? At aliquid veniæ non eſſet denegandum, ſi earum dominam iure ſe poſſet Mortalitas iactitare. Qui illas verè poſſideat, nullus inuenitur. Ignarum vltra Mundum vlnâ non ampliùs extenduntur. Tot diſtinctiones actuales; formales; quidditatis, qualitatis; eſſentiæ, exiſtentiæ; intentionum, proprietatum; abſtractorum, concretorum; agentium, patientium, ac huiuſmodi, quibus paſsim ad infini-

finitatem replentur, confuſio-
nem, non diſtinctionem in
noſtros intellectus ingerunt.
Mundanas ſupra moles ſtul-
titiarum pronominationibus
deridentur; & quod peius, ip-
ſorum hominum dementia
eas deludit. Animum, cor-
pus, ac præter corpus, & ani-
mum innumeris confuſio-
num ambagibus, ac indiſſo-
lubilium opinionum catenis
inuoluunt, illaqueant. Ad ve-
ram ſapiētiam peruenire non
poteſt, qui ſuæ ſapientiæ fi-
duciâ decipitur. Quid? Ea-
rum ductu, vltra naturale,
ſenſibile, ac materiale nos
cer-

cernere, ſcire, ac poſſe nobis audacter autumamus. At ſi ad rem venimus, breues euadunt menſuræ, anguſti circini, obumbrata teleſcopia. Atque vt homo ſe nil aliud, quàm impotentiam, ignauiam, ac cæcitatem habere iam cognoſcat, in elementis ipſis, quibus conflatur, ac pro ſe tantùm editis (licèt ſolo ab igne cuncta produci ipſe cenſeam) experientiam ordiatur. Tunc ſuæ arrogantiæ ſe longè imparem confitebitur. Quæuis aqua eum ſubmergit, nam breui fragilium bracchiorum remi debilitantur.

Cu-

Cuiuslibet ſcintillulæ impetu exuritur, cùm pauculus ardor cinereum compoſitum condenſantem facilè exſiccet humiditatem. Quacunque aut copiâ, aut aëris inopiâ ſuffocatur, omnis etenim vaporis intemperies in eum fulminis vices gerit. Quæque telluris paucitas, quæ illum ſuper irruat, aut ſubterdeſit, ipſi tumulum cumulat. Et tantis in omnium incommodis fletui parcam? Et proinde excors non erit Humanitas?

Ah peiores in corde tumultuant dolorum fluctus. Homo, Homo, ſi quis Homo es,

au-

audi, reſponde. Quid poſſides, quid tractas, quid cupis, quid flagitas, quid diligis, quod te non oderit, tibi non-inſidietur, tuam non moliatur deſtructionem? Omnia Artium inſtrumenta, aut macerant, aut feriunt, aut terebrant. Anni, opes, gaudia, contriſtant, perterrent, incommodant. Gradus, nomen, obſequium deludit, infamat, præcipitat. Parentes, Patrocinia, Vires deficiunt, perduntur, intereunt.

Dixiſtin? Minimè. Dicam ego. Quidquid creatum eſt, pro te creatum eſt. Ec-

quid

quid tamen pro te in Mundo eſt, quod in te non deſæuiat? Berè omnia circumſpice, & vbique anguſtiarum amplitudines intuebere. Solùm te vt dilaniet, vnguem acuit Leo; vt te ſuffocet, blandientem manum regurgitat Elephas; vt te feriat, cornua extollit Taurus. Vt ad mortem alliciat, ſtolidum ſe Vrſus fingit; vt deuoret, Lupus fremit; vt lanam, villos, & lac deneget, belat Ouis. Canis ipſe, cui ſic blandiris, tantummodò latrat, vt accuſet; cuſtodit, vt mordeat; vllulat, vt mortem præominetur. Veſpæ,

ac eædem minores Formicæ, aculeo pungunt, cuſpide feriunt, ore furantur, & lacerant. Apes ipſæ amaros reddunt fauos vulnerum vſurâ.

Vegetantia ſimiliter, quæ è ſolo ad tui pullulant vtilitatem, in arborum ramos dilatantur ad percutiendum, tremunt ad trepefaciendum, ad proſternendum, ſi proſternuntur. In herbas diffuſa, amarificant, ſtupefaciunt, venenant.

Nec eadem ceſſant Inſenſibilia te ſaxis percutere, telis transfigere, metallis obcæcare. Gemmæ ipſæ, tuæ cupi-

dinis

dinis gemma, allucinantur, lacerant, propria lubricitate ad ruendum facilem reddunt, ac tandem propter occultas ipſarum potentias mille modis cogunt ingemiſcere.

Nunc igitur, ſi in tot, tantiſque enuntiatis, totque ad minus mei tædium omiſſis calamitatibus Terram Matrem nouercam experiris, quę amoris ſigna Aër ſpirabit, regio alitibus duntaxat domicilium electa? Hi mollioribus plumis punctiones proſternunt; vngues acuunt, vt tibi carnes dilanient; roſtra, vt artus euellant. Vt breuibus vtar, Con-

traria

traria omnia, quibus conglutinaris, quæ nunquam concordiam agnouerunt, in hoc ſolùm conueniunt, ac mutuæ ſubeunt fœdus tolerantiæ, ne te tolerent, vt te perimant.

Neque tu meis collacrymas lacrymis? Nequaquam. Tu rides, & ipſe lugeo. Tu ſapiens igitur, inſanus ego. Ita bene eſt. Verùm ipſe ſim reus culpæ, tu rè ſis iniuſtitiæ. Audi, & deinde aut abſolue, aut condemna. At candidus ſimul eſto Iudex. Et ſi is eſſe optas, culpati rationem, priùs quàm ſententiam proferas, cõſidera. Non tibi propria propen-

penſio, aut tua in me aduerſitas, vel affectio in ore linguam permoueat. Te à recto minimè torqueat mei vel Philoſophi, vel dementis deſpectio. Demum reminiſcere eum ſemet condemnare, qui animi corruptelâ condemnat. Dic, vt hinc exordiar, ad quæ agenda huius aëris auram reſpiras? Procul dubio, vt nobilius Procreatum, ad non imparem quoque finem originem traxiſti. Hic nonniſi Beatitudó eſſe poteſt, quippe quæ defectui non ſubijcitur, At quoniam ad rem nobilem acquirendam nobile quoque me-

medium requiritur, certum
eſt idoneo opus eſſe inſtru
mento. Hoc aliud nihil eſſ
poteſt, quàm Virtus, quæ tan
quam ſupernaturalis, & mer
innixa rationi, nullam noſci
demiſſionem. Tu nunc vt i
medium conſequare, dic quo
modò elaboras? Eſtne ac
tam ſublimis habitus conſe-
cutionem ſe diſponere in o-
cijs marceſcere, Virtutes o-
dio inſectari, tuæ obiectum
mentis aurum conſtituere, in
crapulis luxuriari, ac ſolùm
viuere vt viuas? Tantùm la-
ſciuijs, fraudibus, ac prodi-
tionibus degere? Vſui, non
ratio-

rationi te committere? Inter relationum, ac calumniarum varietates tantùm peiores, & alijs magis incommodas approbare; ac in ſe bonas, & Proximo vtiliores reſpuere? Iniquitati, vt innocentia proſternatur, fauere? Odio amorē, maleficio beneficium, vituperio laudem remunerari? Si talibus vtendo morum regulis Virtute inſignem euaſurum tibi ſuades amentiſsimè, delirio extra te veheris.

Hæc præter, cùm ad Virtutem parandam nulla tibi ſint aptiora inſtrumēta, quàm Senſus, quippe qui à Natura

conditi ſunt, vt tanquam feneſtræ forent, per quas Intellectio, quæ à ratione radicaliter dependet, obiecta exteriora proſpiciens, rerum ſpecies eliceret, ad perfectam Abſtractorum, in quibus vera conſiſtit Scientia, cognitionem, dic, Mortalis, quo illos ordine ad intentam à natura exercitationem reducis?

Quas Viſui leges præſcribis, qui cùm ſupra cæteros ſpeculationis ſit particeps Senſus, te ad quidquid obijcitur indifferenter inſpiciendum conducit? Qui, cùm imaginem in aëre exiſtentem pro obie-

obiecto habeat, ad terram tantùm proſpiciendam minimè fuit creatus? Duo in oculis vacui intra medium ſunt nerui, qui Optici ab Anathomicis communiter nuncupantur. Canalium inſtar, ac Meatuum, ad operationem viſiuam perducunt Virtutem. Vt facilè in Proximum amoris munditiem tranſmittas, atque vt ad illius miſeriarum ſolamen commiſerantium fletuum riuulos transfundas, præcipiunt. Id tamen qui exequatur, quem enumeres? Quis oculos frænat ad laſciuiorum imaginum, auri fulgi-

dioris, immodeſtiorum vo·luminum admirationẽ? Quid amplìus? Ecquis alienorum fletuum imbribus ſui doloris nubila non ſerenat; ad lacrymabiliorum caſuum aſpectum non lætatur; in alieni cruoris mari gaudio non fluctuat? Ah ſi in tuis aſpectionibus non cæcutires, meliùs profectò oculis, maioribus Cœli muneribus, vtereris. Quinetiam cùm ijdem Cœlum ipſum repræſentent, vt Cœlites, in ſublimibus tantùm adhibendos diſcerneres. Oculus ad ſummæ felicitatis aſcenſum ſcala eſſe debet, non

in alterius infortuniorum læ-titiam ad ruendum decipula. Obiectorum eſt capax cœle-ſtium, vt plus aliis Senſibus naturarum rationem exce-dens, non vt terrenis affixus Sideribus obumbretur. Mem-brorum omnium eſt nobiliſ-ſimum, vt in imaginum tur-pitudinibus ipſum non dede-cores. Admirabilis eſt ſtru-cturæ, vt tanquam prodigio-ſum diligenter ſerues, vt te ab inhoneſtorum obtutuum ar-ceat propenſione. Multipli-cem iactat architecturam, vt in probarum cogitationum varietate, non prauarum vni-

tate mentem, cuius nobile exercet miniſterium, admoneat perſiſtere. Hinc eum quoque ad diuerſitatem colorum natura diſpoſuit recipiendam. Quattuor tunicis, ac tribus componitur humoribus, vt te in illarum quadruplicitate ad meliorum electionem conſiliorum varium eſſe debere perdoceat, ac in harum triplicitate in perfectionis viam introducat. Et tu, qui tam velocibus Luminũ Prænuntijs imperas, quò dirigis? Qui tam viuacia ſpecula in fronte geris, quæ ſimulacra illis præſentas? Qui tam mi-

can-

cantium ſtellarum ductum ſequeris, qua veneraris obſeruatione? Quò tam lucentes iactas zaphiros, quò tam claras vertis faces, quò tam auratos euibras radios? Hos in tuorũ Tartara appetituum; illas tuarum verſus noctem laſciuiarum; priores in tuarum ſpurcitias voluptatum. Id omne patras, hæ tuæ ſunt curæ, & ipſe, te aſſerente, hæc collacrymans inſanio? O opinionum diſcrepantiam! Cęcus eſt qui ſuam non videt, non qui alienam & cernit, & luget cęcitatem. Satis de hoc.

Ad Auditum conuertamur.

mur. Iam tuorum deliriorum ſtrepitus me ad lacrymas vehementiùs impellit. Senſus diſciplinæ eſt Auditus. Tu verò in licentiæ ſenſum tranſmutas. In tempore, non momento, eſt illius operatio, & tamen tu vnico inſtanti audis, & iudicas. Suis interponitur, & pro medio aër obiectis inſeruit; Tu in audiendo medium nil curas, quia malè audis. Qui aures penetrat ſonus, non moratur in aëre, ſed de circulo in circulum tranſiens, ad illas peruenit. Tu in eorum, quæ audis, examine nihil ſiſteris, nec circunſtantias

trutinaris. Duæ pro inſtrumentis huic Senſui inter potiores mentis miniſtros aures famulantur, vt homini benè audiendi, meliùſque iudicandi obligationem ingeminent. Illius eſt vnam ſemper accuſanti recludere, aliamq; accuſato indefatigatam ſeruare. In rem tamen veniamus. Quomodò querelis nunc in Iudicum thronis aures præbentur? Delator auditur, ac inauditus condemnatur accuſatus. Et quod peiùs, innocentia plerunque mulctatur. At ſi vel iuſtè damnaretur, parte inaudita, damnatur injuſtè.

Pro typo, & ductu Auditui aër inſeruit, vt in illo notas imprimat veritatis, ac vt ad rectitudinem ducat; non vt ſubitò calumniarum caracteribus ſignetur, ac Decentiæ tramite detorqueatur. Aures duæ ſint licèt, ſolam tamen ſoni ſpeciem ad ſenſum deferunt, vt bonum tantummodò nobis libenter audiendũ præmoneant.

Sed attentiùs meis explicationibus auditum explica. Specie differunt Vox, & Sonus. Eſt illa rumor ab animato productus ſubiecto, qui aëris fauore à reſpiratione

tranſ-

tranſmittitur, & intentione alicuius indicandæ paſſionis ad vocalem arteriam impellitur. Vncat Vrſus, ſibilat Serpens, gannit Vulpes, Homo ratiocinatur, non ſemper, imò rarò benè ratiocinatur. Metaphoricus tamen eſt ſermo vocis titulum inſtrumentis Muſicalibus conferre. Sonum edunt, non vocem emittunt. Sonus eſt aëris percuſſio, quæ circulariter ſe mouens, tempore ad aures peruenit. Venti, & motus nuntius eſt ille. Admirandę celeritatis eſt, & ſubtilitatis Cuique rei communis eſt; Omne enim materiale ſo-

num edit. Dic mihi nunc, Homo, tu quem ſonum effundis? Tu, qui alterius beneficio, non damno, ad alienas aures in Senatu, ac Foro feriendum natus es; ad leuaminis ſonum afflictis animis participandum, non ad pathemata illis multiplicanda; ad alienis erroribus admonitionum ſonis ſubueniendum, non improperiorum vocibus grauandum; denique ad leniendum, non irritandum? Cuilibet quidem ſono, ac voci aures tibi licet accommodare, cùm nulla vox vt vox, nec vllus ſonus vt ſonus, ſed eorum

tan-

tantùm concomitantiæ, ſi prauæ, damno ſint. Quinimò cùm ad te ne perueniant, quando iam peruenerunt, nequeas impedire, tuum eſt iuxta circumſtantias aſſenſum regere, qui cùm effectus ſit voluntatis, nî ita regatur, abuſum rationis, aut ſaltem intentionis prauitatem accuſabit. Tu verò rationem redde, qua ratione tanti Senſus nobilitatem modereris. Dic quo auriũ motu iuſtas Leges, Decreta præcipientia, & Interdicta prohibentia audis? Dic quo mentis gaudio aliorum laudes, ignominias; magna

faci-

facinora, indigna; virtutes, ignauias auſcultas? Dic quo aurium pruritu ſatyras maledicentes, laſciua Feſcennina, anathemata execranda, detractiones, murmurationes, proſcriptiones, equuleos, tormina, pœnas, cruces, bipennes, ſtrangulatus intelligis? Dic quas voluptates non carpis è relationibus odiorum, rixarum, rebellionum, proditionum, cædium, tragœdiarum? Dic quonam delectationis exceſſu te iuuant relatæ graſſationes, naufragia, decoctiones, iacturæ filiorum, litium, patrociniorum, numiſmatum,

tum, & quidquid durius in hoc Orbe ſuſtinetur? Nonne te penitus lætificant, quæ circumnarrantur incendia, matrimoniorum inæqualitates, diſcordiæ, offenſiones, contemptus, deſperationes, præcipitia?

Peius etiam hoc supereſt, quod tantùm alieno contriſtaris bono, quantùm malo exhilararis. Quos angores non ſentis, cùm nuntiatur in hunc, in illum collatas remunerationes, xenia, donationes, legata, hæreditates, dominia? Quo non fremis furore, tuum præſentiens æmulum ſortiri agro-

agrorum fœcunditatem, inuentiones theſaurorum, Principum munificentias, ſententias ſecundas, amicitias, protectiones, patrocinia? Quæ te non rabies excruciat, ſi refertur ipſe ad Conſulatus, Cenſuras, Præturas, Ædilitates, Quęſturas, Tribunatus, ac non impares dignitates exaltari? Vos Filij, Nepotes, tuque his ſucceſſura Poſteritas, aures arrigite, & noſcetis quid poſſint vltimi Inuidiæ conatus; quid proſit, aut noceat benè, vel malè audire. Aliorum mala quiſquis auſcultat libenter, vt de ſe omne malum benè auſcul-

ſcultetur ſit dignus.

Auribus quietem concedamus; & ad illius ſenſus olfactionem progrediamur, qui inter cæteros medium obtinet gradum, duobus quorum ſuperioribus ſubtilis, ac purioris conditionis eſt vilior; alijs verò inferioribus de terreſtri, & aqueo magis participantibus eſt nobilior. Odoris ſuauitate cerebrum delectat, & ipſi ad fœtorem vitandum famulatur. Ad indiuidui conſeruationem comeſtibile ab aſpernabili in dapibus diſtinguit. Magnam cum guſtu, & tactu tenet conformitatem.

Eſt

Eſt ipſe Potentia, mediante olentis aëris reſpiratione, ad odoris qualitatem recipiendam nata, donec ad cerebri perueniat penetralia. Et quoniam cuique Naturæ nil caſu agentis operationi ſuis opus eſt inſtrumentis, iſte ſenſus in duobus carnis ſpōgioſæ comprehenditur fruſtulis, quæ paruorum inſtar follium in naribus poſita, continuò aërem attrahunt, & eijciunt. In ſola ſubtilitate à guſtu diſcriminatur. Quamuis omninò intellectui non ſit neceſſarius, ad nonnullas tamen ſpeculationes ipſi deſeruit. Spiritus ſub-

ſubleuat,ac totum corpus mirabiliter recreat. Veruntamen, Homo, tot benè conſonantibus organis, tot ingenioſis naturæ ſtructuris, tot humani corporis dotibus, tot vitæ ſubſtentaculis, ad quæ vteris? Patet vndiq; ſolùm ad luxuriandum in conuiuijs, ad appetitum excitandum, ad ebrietatem prouocandam te illa diſponere. Infandum! Diſponis, inquam, in tuis vanitatibus, in te mollitiei compendium plùs euaporantium aromatum, quàm permanentis virtu is fragrantiam effundés accuſando; in prauum de te

odo-

odorem relinquendo, & vt breuibus vtar, in te cunctorum naribus tanquam inertiæ cadauer inuidiam conciliando. Malè olet, cuius ſemper bonus eſt odor. Et quod non mentiar, oſtende quis ille ſit, qui magis laſciuiam, quàm honeſtatem; iracundiã, quàm lenitatem; lautitiam, quàm ſobrietatem; ambitionem, quàm humilitatem; auaritiã, quàm liberalitatem non puteat? Ecquis, vt conuentionem vſuram fœtentem compleat, vtilem egenæ Ciuium familiolæ ſtipulationem non prætermittat? Ecquis in ſuis

actionibus faſtoſum magis heliotropium, quàm humilem hyacinthum non ſapiat? Ecquis redolentem familiarium menſarum læuitatem pro fœtidis tabernarum ſordibus non relinquat? Ecquis ſuas vltiones in actibus magis infamiam, quàm honorem olentibus non adimpleat? Ecquis formoſam Vxorem honeſtatis odores ſpirantem frigidam in lecto non deſerat; vt ſcortum lupanar fœtens amplectatur? O conſuetas ſæculi turpitudines! Qui ſenſui paret, & voluptati, obſcœnus, & turpis eſt odor.

Ad

Ad Guſtum progrediamur, Heraclite. Si tibi tot abominabilia amaras fauces iam reddiderunt, eorum inſimulationes, quæ tibi tam dulces euadunt, ſacchari vſum habeant ſuauiſſimi. In humano ſparſus eſt neruus capite, è parte cerebri, qua omnes Senſus deducuntur, proueniens. In linguam protenditur, à Natura huius ſenſus inſtrumentum ordinatam. Hęc, cùm ſpongioſa ſit, & humida, ad ſapores, qui illi media ſaliua coniunguntur, recipiendum apta nata eſt, & illius nerui adiuuamine, fauente

pala-

palato, eorum ſpeciem ad ſenſum communem tranſmittit. Hinc Guſtûs prouenit Senſus, plùs alijs ad hominis ſubſtentaculum cooperans, quippe qui eum allicit ad cibum inteſtinis vitalibus demandandum, quæ purius ab illo attrahentes alimentum; ad vitæ conſeruationem propria obeunt munera. Eſt ille in nobis multò, ac in cæteris animalibus acutior; & meritò, vt ſcilicet, cùm in nobis ſit ratio, è qua diſcretiua dependet facultas, eos eligeremus cibos, qui potiorem alimenti partem habent. Non

quæ-

quæuis dapes ad noſtri aptantur ſuſtentaculum, quippe qui ab alijs animantibus diſtinguimur. Fœnum, palea, herbæ, ſolia, cortices, & huiuſmodi, quæ Bos, Pecus, Iumentum, Equus, & alia depaſcunt Bruta, Hominem ſepelirent, tanquam pabula ſuę naturæ minimè idonea, quippe qui nobilioribus membris compoſitus ad longiorem vitam exoritur; ſuper illa, ſicuti ſuper omnia, dominatur; ac tandem per rationabilitatem diuinitatis quodammodò eſt particeps.

Huius Senſus cauſa motrix eſt

eſt appetitus, qui eſt cupidus animæ ſentientis motus, quo ad aliquid impellimur. Ordo tamen Naturæ eſt, quòd in cogitationibus, curis, & affectibus Ratio ſit domina, ad hoc vt in Virtutis adeptione optimo mentis habitu proficere poſſit, & appetitus inferiori animæ potentiâ, ira videlicet, & cupidine excitatus ipſi obediat, & à Ratione quid vitandum, quid ſequendum ediſcat. Nunc malum medicum perſtringamus, & quas pro tot beneficijs remunerationes Naturæ exhibeat Mortalitas cõſideremus. Heu

nimis ingrata ad ipſam pęnè dixerim deſtruendam illis abutitur. Cunctis innoteſcit eam non ſolùm paucis contentam eſſe, ſed pauca ad ſui conſeruationem velle, cùm tantundem detrimenti è copia referat, quantum è parcitate vtilitatis. Et tamen quid non conatur effrænis hominum gula? In ipſo ad ſui nutrimentum actu ordinato, ciborum inordinatione ſui eſt incurioſa nutrimenti; & cùm ſe debeat ad vitam alere, in nimijs vitam ſibi deuorat alimentis. Dij boni, quibus in crapulis non bacchatur; quibus

bus in luxibus non deliteſcit; quibus in ebrietatibus non inſanit? Quas craticulas, paropſides, quæ ahena non inuênit, vt ſui ventris eluuioni ſatisfaceret? Quas artes meditata non eſt hominis auiditas, qui viuit vt edat, non edit vt viuat; implet vt euacuet, euacuat vt impleatur? Quid non tentat, vt quodcunque Aër, Terra, & Vnda ſibi contendunt, ad palati delicias conſequatur? Edocet Aſterias, & Falcones; laqueos, & haſtas machinatur; retia, & hamos molitur. Imperat è Phaſi aues deportari; Epyroti-

ca è quercu palumbos denidat; nec tanta à rabie vt vitam cuſtodiat, Cretenſi ſatis eſt Pauoni mille oculorum vigilias circunferre. Apris Calydoniam deſertat, Balearides leporibus, Pangæum Pygargis. Quos liquores, quæ vina è Falernis, Maſſicis, ac Chijs non exprimit prælis? Quid demum exquiſitioris aut cibi, aut potus è longinquis non aſportat regionibus, vt fœcundiſſimam cœnæ lautitiam diſponat, ac morbos omnes ingurgitet? Quæ omnia tandem illi mortem accelerant.

Sed quid tantùm de Guſtûs appe-

appetitu, qui naturalis dicitur, queror? Præter appetitum vegetationi inſeruientem, duo alij dantur appetitus. Vnus Senſualis; alter Voluntarius. Prior à Senſu motum habet, alter à rationis iudicio. Quoad primum, quis hominum reperitur, qui ſe illi ſuperiorem poſſit extollere? Video, ah nimis video, licèt lacrymæ oculos allucinentur, eum omnibus imperare. Nolo hîc ab ea alienari modeſtia, quæ meas aggreſſi genas ruboris reuerberatione, purpureis Regnãtium chlamydibus rubores poſſet adijcere. Secundam

quoque Appetitus ſpeciem, prætereo, ſanguineis torrentibus, nedum meo deplorandam mœrore, quippe quæ in furore, ac auaritia magis conſiſtens, & conſequenter in aurum, & ferrum ſe extendens, ad tanta homines perducit deliria, vt catenas, ac cædes, nedum mortes mereantur. Innumeras quas poſſem deteſtationes in mortalis dementiæ damnoſa ſemper experientis conſpectum adducere, prætermitto. Id tamen obſeruo, quòd quemq; infelicem reddit propria voluntas.

At quandoquidem eam dimit-

dimittere copioſiùs obſeruare existimo, ne tam abominabilem attingam materiam, ad Tactum me transfero. Ille, quamuis terreus, propter tamen conſeruationem, quam habet implicitam, ſpecierum, ac ob tot alios admirabiles effectus ex hominis manu reſultantes cunctis quodammodò Senſibus ſuperior efficitur. Nerui, ac muſculi ad motum exterioribus membris ſubitò participandum ordinati voluntati famulantur; & ad diſtinctionem illius, quod tangunt, intenduntur. Sub tactu, tanquam ſub ſtylobate,

cæteri Senſus firmantur. Viſus, Auditus, ac Olfactus ad benè eſſe conceduntur, Tactus, & Guſtus ad eſſe, & conſeruari. Nunc tu, Homo, qui illo dotaris, quo tui progreſſu diſponis? Homini ad imperandum exorto Manus potior Tactus miniſtra dono data eſt, procul dubio, ad grãdium tractationes, veluti Sceptrorum, Enſium, Vexillorum; ad permouendos calamos, ſcalpella, pennicillos; ad rudentes attrahendos, temones dirigendos, vela erigenda; perpendicula trutinandum, circinos circumferendum, aſtrolabia

bia euoluendum; ad tangendum pulsûs, purgandum vulnera, componendum mitrydatica. Et tu, crude, mollis, deſes, inepte, quo illam moues Virtutis gyro? Innatam negligens nobilitatem, verua rotas, piper conteris, vinis dolia permutas. O infelix Tactus inſtrumentum! Ob egeſtatem, exuis, fuſo voluis, in alabrum contrahis. Ob auaritiam, te excorias limando, maceras malleando, feris laniando. Ob mendicitatem, ſemiureris, occalleſcis, corrugaris, aratra, falces, marras fatigans. Abiecta, tondes pe-

cus, mammas premis, iumenta ſtrigilas; purgas ſartagines, clyſteria imponis, latrinas deples; & ſi quid ſordidius reperitur, in hoc vileſcis. Fraudolenta, periuras, falſificas numiſmata, chirographa adulteras. Inhumana, ſagittas, iaculos, baliſtas conficis. Homicida, colligis toxica, cicutas comprimis, ſtillas venena. Ad quę mala, ad quas fraudes, ad quæ ſcelera non extenderis? Ludis, deceptionibus, latrocinijs, ſanguini, incendijs, proditionibus, cædibus applicaris. Et tamen ſi non feriora, turpiora patras. Omittan-

rantur extrinſeci fœminarum ornatus, in quibus vt earum genij leuitatem, auaritiæ conſtantiâ, ſecundes, turpiſſimè laboras.

Ecquid, Homo, ad contemplationem exortus continuò ingenium fatigat, vt manibus operas præparet cincinnorum, pectinum, ſpeculorum, ceromatum, fucorum, vnguentorum, ac vanitatum huiuſmodi? Quæ omnia vix vix in leuioribus mulierculis veniam merentur; & tamen (o infamiæ dedecus, o ſæculi corruptelam!) ſi non componi, ſaltem à Priuiarijs adhiberi

intueor. Ab ijs, inquam, qui in altis ſedibus collocantur, vt omnium exemplaria proſpiciantur; vt alijs in calamitatum fouea ſubmerſis manum porrigant ad exitum, & tamen, o vtinam pro ſubleuando, non ſolùm manibus, ſed etiam pedibus, ſi oportuerit, ad maiorem inculcationem non opprimant. Verum quidem eſt innumeras eſſe Tactus licentias, & ad hoc opprobrij digreſſas, vt Naturam ipſam cogāt erubeſcere, cùm, in tolerabiliores nedum fornicationes, in adulteria quoque, ſtupra, inceſta, in vtraque

ſimul,

ſimul, in mollities, in incredibiles vſque brutalitates, ſine vllo gradus, cognationis, ſexus, humanitatis ipſius diſcrimine dilabantur; At prudentiâ deſperationi ſuccurrere eas præterire exiſtimetur. Ad ſummum Senſus omnes, quos ad felicitatis medium tibi prętitit Natura, in calamitatum inſtrumenta ingratiſſimè cõuertis?

Intellextin, Mortalis? Vidiſtine quaſnam imponis Sẽſibus habenas? Tua audiſti improperia? Tuorum ſcelerum fœtorem odoraſti? Tuarum abſcynthia ignominiarum

rum deguſtaſti? Verbo dicam, vt Rationem ſenſuum reginam Senſibus famulam ſubijcias manibus tetigiſti? O Mortalitatem! Et nonne eſt hoc nobilitatis humanæ diploma in Naturę conſpectum diſtringere? Veruntamen non in Senſibus corporis tantùm tuis vitijs finis imponitur. In hoc operæ pretium eſt, quòd Animi ipſius immoderationes ex his nunquam exſiccandis luminibus lacrymas effodiunt. Totum mente percurras terrarum Orbem, ecquem inuenies, qui tam iuſtus dici mereatur, vt ſuum cuique tribuat;

buat; qui rectos mores, decreta, ac Leges obſeruet; qui verum fateatur; qui ſancita non diſſoluat; qui vitia abominetur; qui egenti ſuccurrat; qui alios, & ſe ipſum, dictis, cogitationibus, ac factis non lædat; qui intemperatis tantùm perfruens voluptatibus, tandem ſuæ ſe auctorem ruinæ non deploret? Haud quidem difficulter plurimi inuenientur, qui quotidie in Leges peccant, Statutis aduerſantur, negligunt Magiſtratus; qui maligni ſunt, calumniatores, fraudolenti, mendaces, periuri, latrones, furiæ. O Superi! Quot-

Quotquot Mortales in terris viuunt, à veritate, ac iuſtitia abſtinent, auaritiæ autem, & inani gloriæ inexplebiliter intendunt, perditæ dementiæ causâ.

Tot inter homines, qui in hoc Orbe numerus ſunt, & fruges conſumunt, ac tot morales inter Virtutes, quas duntaxat Sapientium proprias exiſtimo, aliquem mihi oſtendas verè ſua contentum ſorte, cupiditati non ſubditum, & gloriosè viuendi, ac moriendi cupidum, tunc me indecenter flere, tunc inſanum me eſſe cogar fateri.

Vn-

Vnde in Vniuerſo terrarum circuitu tot ſcandala, à primo ad vltimum eueniant vis ediſcere? Hinc primùm, quòd Virtus à Nobilitate, & illius ductu à cunctis proſcribitur. Deinde, quia Morales Virtutes tam ab illuſtribus, quàm ab infimis omninò ignorantur, nedum ad aliquem exercitationis actum reducantur. Hinc immodico, ac inſueto Heraclito ploranti mentis exagitor riſu, quoties Librorum meorum ambages flenti lumine percurro. Auctorum amentiam admiror, qui ingenium in-

con-

contemplationibus triuerint. Eorum multi naua, ac vana proferunt, pauci vtilia, & vera perſcrutantur. Verùm ad id, vt opinor, auribus pruritum excitandi cupiditas impulit. Sic patitur tempus. Sanam eſſer doctrinam, omnes ſtomachantur; vitioſam, nullus reſpuit.

RECTE' PHILOSOPHANDI
NORMA,
aut
GVBERNACVLVM VITÆ,
vel ſimili titulo Liber exornetur, vt quid ſacrilegum effugietur.

DE

DE SVBTILITATIBVS GANEONVM,

aut

THAIS IN BALNEO,

inſcribatur, vt quid verendum coletur. Audi quàm deplorabilis in hoc ſit ætatis noſtræ conditio. His tempeſtatibus non ſolùm Virtutes, ſed & earum Amatores (licèt pauci) conculcantur. Ignaui plùs alijs premunt. Ex mille nobilibus Viris vnum quære, qui Virtutum poſſeſſoribus opituletur, vix reperies. Quænam illis poſtea ob id ſupplicia?

cia? Inops ambitio, iniuſta litigia, inæquales diſcordiæ ſemper excruciant. Quid? Animi tumultus, bonorum iacturæ, libertatis amiſſiones, familiarum ruinæ, & huiuſmodi leuitates celeberrimæ illorum ignauiæ patroni, ac nuntij præcurrunt. Famulantur mœror, triſtitia, moroſitas, timor, tremor, inhumanitas, ſuſpicio, fraudes, diſpendia, & quidquid peius, ſi peius reperitur, infernæ voragines euomuerunt. Ab his tandem gloria, ſplendor, lætitia, & iucunditas voluntarium ſibi eligunt exilium. In-

ter

ter hæc autem, illorum cogitationes, curas, gaudia, & voluptates ſi inueſtigaueris, cùm & ipſi neſciant, neque tu ſcies. In ſuis imaginarijs felicitatibus infeliciſſimi viuunt. At quid, viuunt, incautus protuli? Vix eſt vita huiuſmodi vita. Neque profectò viuentes dicendi ſunt, qui arte ipſa exprimendi vtrum viuant deſtituuntur. Quis hominum ſit miſerrimus interrogas? Qui ſuo tempore nec verbum quidem ſcit componere. Indoctos Sapiens quàm bene ſtatuas nuncupauit! Vt animi affectus, ita & lingua moderatur.

ratur. Hæc ſi quis opportunitatibus careat, ſimulacrum viuens eſt, animam non habet. Iucundius pol eſt pſittacum, ac picam balbutientes, quàm ignauum ore crepitantem audire. Illi ſaltem naturali ſolùm inſtinctu riſus euocant, iſte & garriendo, & loquendo prouocat deriſiones. Eloquentia, gemmæ inſtar, gaudijs illuminat auſcultantium intellectus. Radius cœleſtis eſt, qui ignauiæ tenebras dilucidat. Dum affectus permouet, ad optatum gloriæ portum ſemper dirigit. Tandem gladius eſt, qui honeſtas
actio-

actiones tuetur; habena, quæ animos moderatur; vinculum, quod paſſiones coërcet. Inter Virtutes regina colitur; nam quouis animi in motu imperium exercet. Quantumuis delectet concentus, breui tranſcurrit voluptas. Qui tibi modò tam placuit, mox nihil curabis. Vir eloquens ratiocinetur, omnes contriſtantur cùm deſinit. Sed quid pluribus eloquentiam extollo? Multi illius nobilitatem non ignorant, pauci modum addiſcendi tenere faſtidiunt.

E turpibus autem eorum quiſquilijs, qui ignauiæ mor-

bo

bo iam incurabili ægrotant, multi ſic queruntur. Proh ſi Philoſophi, vel Scriptores de nobis in ſuis Querimonijs, ac Operibus tacere poſſent, quãtùm gauderemus! Nihil ſine remedio eſt. Audite, & obedite. Cum illis, viuendi formis vtamini, vt in ſyluis ſe abſcondere non cogantur. Hos non odio, at debito honore proſequamini; & ſi de vobis, vel ſponte, vel nutu elaborauerint, remuneremini. At, Heraclite, in hoc Lacrymas ſicca. Quantumlibet alterius queraris fauore, ſemper fruſtra gemitus emittes. Nunquam pro-

profectò hæc viſurus.

Vt primò de me lugeam, an creditis egentes Philoſophos temporum viciſſitudinibus non ſubijci, vt ad exilia veſtrorum ſcelerum perſecutionibus propellatis? Et ipſi homines ſunt, non feræ. Vt etiam alios abſentes tuear, creditis, inquam, Maris in portubus Hiſtorias luſtrari, in Viridarijs Poëmata effloreſcere, in coquinis morum doctrinas exarari, inter tegularum ſulcos Orationes ſeri, in aleatorijs Epiſtolas enucleari? Sunt cerebri ſtillamenta. Æſtimationem merentur non

mediocrem. Salutationibns, Epiſtolis, ac Oblationibus non compenſantur.

Pars verò alia ſic ſubiungunt. Si Docti, & præſertim Poëtæ, pro laboribus præmijs afficiantur, quis ſuſtineat? Plus Cerbero allatrantes, ac Erinnybus ſuperbiétes odioſi fient. Quantumuis mittas, parum erit. Suam virtutem irremunerabilem exiſtimant. Semper poſcunt, nunquam illis fit ſatis.

Illorum reſponſa è Philoſopho nil iſthæc curante percipite. Optimè ſic, multiplici ratione, cùm faciunt. Primùm

mùm Virtutem nihil æquè compenſat. Deinde id quamuis peragant (ita loquor vt intelligar, & licèt profugus cauernarum accola, veſtros cognoſcere mores credar) nihil, vel parùm ſaltem exhibetis. De munerum flore quantumlibet contendant Eloquentes Cicni, ignauiæ noctua abſque alio cantu auferet expeditè. At hæc minima ſint. Si id non facerent, veſtrarum petitionum importunitatem ſemper experirentur. Plùs vobis, quàm ſibi viuere oporteret.

Quantas proferre dementias Diuites incitet Inſipien-

tia, Sapientes attendite. De vno quondam legiſſe memini, qui ſuorum temporum oraculum ſe iactitans, hæc homine ad Virtutes nato indigniſſima eructauit. Dummodo opes coaceruem; dum plurimi noſtris in ſtabulis hinniant equi; dum ſericis, vt tempus poſtulabit, cooperiar indumentis; dum exquiſitiſſimis replear dapibus; dum denique, vt ætas, & conditio noſtra exigit, tutis voluptatibus ephœbea recolam, cætera nil curo. Virtutem ſequantur miſeri. Me iudice, ſola paupertas ignauia eſt. Ex in-

-genij

genij ſtillicidijs præſumptam vitæ immortalitatem extrahant inopes. In his ipſe oble-ctaminibus abſque labore, opulentius, illam reperio. Heu execrabilem amentiam! En pars infirma ſanam infeſtat; reſcindite. En Ignauiæ Harpya ad gloriam Natos deuorat; occidite.

Vos verò, qui me clariùs veritatem inſpicitis, Sapientes, ſi quis veſtrum timore expulſus inter hæc errans teſqua, me audit, nonne, dicite, idem tempus vitam, atque hominis mortem dimetitur? Nonne inſcitiæ tenebrę Nata-

lium lucem obumbrant? Cur igitur deſidioſus tanquam ſub mandragora deliteſcit? Si Virtus ab his vindicat hoſtibus, quid ceſſat? Cur hac munitus, tempori bella non minitatur? Cur haſtam calami non extollit, vt mortem transfigat cum laude? Mundi hæc ordo præuertit. Si fortunas merita, non ſucceſſio ſuppeditarent, hæc profectò mala non euenirent.

Obijcies. Heraclite, hoc fiat; aliquis hodie Fortunæ eſt in ſummo, qui eſſet in imo, & è contra. At audi. Aliquis hodie meriti eſt in ſummo,

qui eſſet in imo, ac ex oppoſito. Olim à meo Dogmatiſtite Hyppaſo audiſſe nunc in memoriam reducitur, quòd cùm quidam Doctus pauper ab ignaro locuplete conuicijs afficeretur, reſpondit, Quas tu poſſides, ſat mihi diuitias magis te meruiſſe. Si hæc hodie merita locum haberent, non ſanè Scorta, Lenones, ac Pharmocopolæ, vt incedunt, tumidis incederent greſsibus.

At vos Virtute præditi, nè meam ob defenſionem immaculatos vos putetis; Potentum quoque rationes, cùr ab illis negligamini auſcultando, proficite.

Hodierno quidem tempore Vitia magis, quàm Virtutes locupletantur; At ſi vos rectam, ac ſine vitijs, vitam degeretis, non minus fortaſſe noſtris, quàm anteactis temporibus præmijs ditaremini.

Multi ſunt, fateor, Inuidi, qui vos obumbrant. At ſibi Canis eſt Liuor. Quare veri Sapientis veſtra ſint Opera, clarius elucescent. His vero ſæculis turpiſſima Vitia cuncta denigrant. Multi libentiùs, quàm Vrſos, Simias, Vertagos, & huiuſmodi, egenos Sapientes enutrirent, ſi eorum vitijs peiora in ipſis crimina

non

non inſoleſcerent. Quot ſunt ex enarratis, qui cunctis opprimuntur criminibus? Quot, oh quot, qui pauciſſimo præcipuè Diuûm timore turpeſcunt; qui rariſsimè templa excolunt; qui characteres modò huius Xerſis, modò illius Darij effingunt, qui fraudibus, ac aliorum ruinis viuentes, maximum prauitatis exemplar Pronepotibus relinquunt? Sed ne vltra munus Philoſophi progrediar, hæc omittantur. Tandem odiſſe Virtutes, eſt Vitia diligere.

At quoniam dogmaticas ſum aggreſſus exclamationes,

huc pro cunctis qui fœmineis luxibus mollis, accede. Quid mille inſanis amplexibus debaccharis ? Hunc animæ lethargum, nequiſsime Homo, iam excute. Sed quid Homo ? Non his immenſæ Hominis vires portenduntur. I, perge, ſaltem, quoniam Litteras deſpicis, armenta inſpice, tellurem cole, ſegetes inſere, & ſic te ingenti Hominis nomine dignum exhibe. Ordiatur Mulier telas, euerrat domos, diſponat menſas, pertractet colos; Tu Feras percute, tu galeas indue, tu fręna reprime, tu ſceleſtos cohibe, tu inimi-

cas Dijs turmas debella, nec inter imbelles fœminarum cateruas te meritò flendum libidini deuoue. Homo inter animantia maximum opus eſt. Calamus, mucro, ſagum, galea, vt audiſti, ei conueniunt. Verùm cuncti labores euitant. In proſtibulis luxuriare quiſque deſiderat. Ob id ſolùm ad facultates exſudatur. Non hi maiorum ritus, non hæ curæ, non hæc iuſſa. Irrationabilia ratione te vincunt bruta. Temperantiùs viuunt, continentiùs laſciuiunt, ac te viriliùs degunt. O calamitates, o tempora, o mores!

Quòd verò, ſæculi perfe-ctionis inimici defectu, exu-les aberrent Morales Virtutes, tuarum actionum volumina percurre, & meos ſanè Fletus concomitaberis. Certum eſt omne agens agere ad finem. Tibi, Mortalis, agens de quo loquor, eſt, vel ſaltem eſſe verum bonum deberet. Duplicis hîc ſcito eſſe generis bona. Alterum eſt finis quoad ſe, non quoad aliud inſpectus, & eſt Beatitudo; alterum eſt Virtus, cuius actus maximè ad hunc finem acquirendum perducit, qui omnium hominis bonorum ſumma eſt. Me-

dium autem ſe ad iſtam perferendi felicitatem eſt Vitium odiſſe, & Virtutem diligere, prout tamen in ſe odium, & amorem merentur, non vt quædam ab homine extrinſeca. Hoc axioma, cùm benè intellectum, ſi ad actum reducatur practicum, qui in rationabiliter operando, per quod à brutis differimus, maximè conſiſtit, veræ habitus felicitatis incipit fieri. Ab huius exercitio humana principium ducit beatitudo. Hac porrò ſolùm perfruitur, qui tempore ſe impetu tranſportandum non relinquit. Quiſnam au-

tem

tem ille eſt, qui omni vel leuiſsima afflictione ab intimo non perturbetur; qui omni apparentis felicitatis radiolo immodicè non exultet, qui minimo aut honoris, aut bonorum augmento non inſoleſcat; qui quamuis tenui caloris accenſione extra ſe non deuehatur? Et hoc eſt ad beatitudinem iter ſuſcipere? Imò potiùs brutorum more eſt viuere, quouis motu ſubitò confundi, ſine vllo deliberationis, conſilij, aut electionis reſpectu, tanquam ſi ratione deſtituti ad eas recurrere non poſſemus.

Dic,

Dic, Homo, ecquam ob rationem cunctis te venerandum animantibus reddit electio? Solùm vt benè eligas, ac benè recuſes. Eſt electio aliquid, quod in noſtra ſit poteſtate, agendi voluntas. Hæc porrò & bona, & mala, iuxta rei electæ qualitatem, eſſe poteſt. Vt benè eligas, iudicium conſule. Vtere, inquam; & memento duas in nobis eſſe facultates; impetum videlicet, & rationem. Ita age, vt vna alteram moderetur. Cùm te ad aliquid appetitus inuitat, primùm delibera; dein elige; vltimò ad actum applica voluntatem.

lunta-

luntatem. Sæpè antea non conſideraſſe, omnis culpæ ream quamcunque poſthumam efficit conſiderationem. Eſto Prometheus, non Epimetheus; quorum ille vbi priùs res conſiderabat, deinde perficiebat; alter è conuerſo operabatur. Sic agens, cum Virtute operaberis, quæ humanæ naturæ propria eſt, cui, non vitio, ordinatur. Laudabilis illa eſt, hoc damnabile. Vnum ad tortum tendit finem, ad irregularam appetitus voluptatem, ad boni apparentiam; alia ad boni realis firmitatem, ad benè rectæ voluntatis

ratis moderationem, ad metam omni immunem obliquitate.

Præcipua inter humanæ vitæ genera illud verendum eſt, quod ad actionum nobilitatem, & ad Politicæ vitæ honeſtatem intenditur. Ecquid è tali vitæ norma in Humanitatem non introducitur? Hæc Reſpublicas firmat; inter populos pacem ſtabilit; obedientiam Superioribus debitam edocet; fidem publico, & priuato ſeruandam corroborat; ſerit honeſtatem; animat ad pietatem; alienis ſubuenit miſerijs; & tandem vel etiam otian-

otiando alienas ſuſtinet ſarcinas. Poteſt itaq; infelicium aſilum, calamitatum portus, frugalitatis columen, religionis cardo, vitiorum terror, ac timor; ad ſummam omnium Virtutum, & ſic omnis felicitatis compendium nuncupari. Hæc porrò felicitas ea eſſe non poteſt, ſi Virtutis commercio diſiungatur. Hinc animalia Virtutis incapacia nequaquam dici poſſunt felicitatem poſſidere. Quare brutis irrationabiliores eos exiſtimo, qui vt terrei, omninò terræ adhærentes, ſolùm in Fortunæ, ac Corporis bonis

ve-

veram vitæ beatitudinem collocant. Hæc ad illam tanquam inſtrumenta, non tanquam finis, concurrunt. Non nego equidem ad illius adeptionem eſſe neceſſaria, ſed ſecundum quid, non ſimpliciter. Benè fateor, quod ſi quis ad eum Sapientiæ ſtatum perueniret, vt illa penitus deſpiceret, tanquam Humanitatis miraculum venerarer. Ego, quoad me, exemplaria à rectitudinis vitæ zelotypis inuenta eos Homines arbitror, qui tam bene in accidẽtibus compoſiti, vt ſibimet ipſis aduerſarentur, in omnibus Fortunæ viciſ-

viciſsitudinibus omnes voluptates vt lacrymabiles deriſerint. Si (quod faciliùs legitur, quàm manibus tangatur) ij bonis Fortunæ omninò caruiſſent, cùm ſine iſtis acquiri nequeat Virtus, docti ſanè non euaſiſſent. Naſcitur ignauus Homo. Deinde à Præceptoribus eruditur. Quamuis aliter de me dici poſſet, non tamen credatur. Virtus haud donatur. Venditur pretio, vel ſpe pretij; Docendi enim merces eſt ediſcere. Sola diuinitas bonis non indiget Fortunæ, vt beatam ſe reddat. Talis ex ſe eſt. Succurrunt

tan-

tantùm homini, vt ſic efficiatur, non minùs exterioribus ſubſtantijs, quàm primarum cauſarum auxilio, quod illi in his proſperitatibus ad hoc ab alto in eum collatis communicatur. Verum porrò eſt hominis debitum eſſe hęc bona, tanquam durationis incapacia, pauci pendere, ſed multi ea, quæ animi ſunt, quippe quæ mutabilitati non ſubijciuntur. Summum bonorum in contemplatione conſiſtens eſt id, quod in actu Virtutis poteſt Intellectus adipiſci. Hic actus quò maior eſt, & frequentior, eò certiùs,

& fa-

& faciliùs in beatitudinis iter nos dirigit. Cùm pars, quæ appetitiua nuncupatur, in Virtutis opera tendit, Vitæ actiuæ felicitas producitur. Hæc operatio Prudentiæ titulum ſibi vindicat. Maximè recenſitis indiget bonis, cùm per rectam iſtorum diſpoſitionem magis eluceſcat. Quando verò pars contemplatrix ad contemplationem reducitur, illa reſultat beatitudo, quæ ab hominibus Sapientiæ gloriam reportat. Huic non ſolùm prædictis bonis non eſt opus; ſed nec eorum penitus reminiſci in ſuis actibus neceſſe eſt.

eſt. Superiorum meditatio, vt verè ſit talis, inferiorum memoriam omninò debet amittere.

Hinc ſatis innoteſcit Fortunæ bona aliqua ex parte Sapienti eſſe neceſſaria. Verum quidem eſt, quòd cùm in cõtinua Sors rotetur viciſſitudine, Prudens in proſpera felix, miſer in aduerſa, vterque in mediocri eſſe poteſt. Sed cùm ſemper eidem ſpiritus firmitati innitatur, ſibi ipſi, nedum fortunæ, dici ſuperior debet, cùm is ſolùm appellari mereatur, qui ſuos animi motus poteſt coërcere, quod, ſi admit-

mittendum, in pauciſſimi datur. Attamen tot inter Sapientes, cum quibus hactenus commercium tenui, & quorum noti ſunt mores, nulluſdum inuentus à me eſt, qui tam benè compoſitos actus exerceat.

Neminem latet, hominem ex anima, & corpore eſſe compoſitum. Actus eſt illa, hoc inſtrumentum. Tàm vnum, quàm altera proprias poſsidet dotes. Animæ ſunt Prudentia, Fortitudo, Æquitas, & Temperantia. Corporis Sanitas, Robur, Forma, & Senſuum perfectio. Vtrique

ami

amicitiæ, opes, gradus famulantur. Corporis bona animo inſeruiunt; animus intellectui; atque hic ſupremo omnium Motori, ad quem, iuxta naturæ ordinem, bona omnia conuertuntur. E Scientia, Virtute, quæ differunt, & Proſperitate ſuam trahit originem Felicitas. Scientia eſt rerum diuinarum, humanarumque cognitio. Virtus eſt liberæ voluntatis vſus ſecundum rationem directæ. Proſperitas verò eſt euentus noſtram voluntatem fortuitò ſecundans. Itaque Virtutes acquirere noſtrum eſt; non ſic proſperita-

tes. Pro certo habendum medijs ſolùm honeſtis cogitationibus, & rectis actibus acquiri. Hi in aduerſitatibus maximè auxiliantur, in proſperitate autem gaudium afferunt, ac felicitatem. Eſt hæc in ſecunda Fortuna Virtutis exercitatio. Multa inter homines indifferentia exiſtimantur, quæ iuxta vſum bona euadunt, aut mala, ſecundum illius, qui ea adhibet, & tractat, qualitates. Quæuis hominum actio ad aliquid boni intenditur. Pauci tamen ij ſunt, quibus ſi non ſuperior, ſaltem malitiæ cognitioni æqua ſit

pro.

probitas. Dum hæc actio ad effectum reducitur, alius falſum, alius verum bonum conſequitur, non quòd agens id exiſtimet, ſed quia decipitur. Quæ operatio ad Virtutis adeptionem dirigitur, ſola ad veri boni conſecutionem tendit. E' contra quæ ad delectationem malarum cogitationum intenditur. Sed heu nimis hę frequentiores ſunt, quàm illæ, propriâ magis nequitiâ, quàm Naturæ vi! Verum quidem eſt multum vigoris in homine habere procliuitatem. Hęc tamen ad extrema non trahit. Liberę voluntatis dominus eſt
 ipſe.

ipſe. At ſim quoque aliquantiſper illius defenſor. Si non omninò malus eſt, aut bonus, non vndique de hoc illius culpetur voluntas. Id quoque impotentiæ defectui tribuatur. Si enim natura extremo mali aditum occluſit, ita etiam extremo boni non aperuerit. Sit quomodocunque. Ad primum reuertamur. Video, nî lacrymis Saturniæ lemæ in oculos mihi inducuntur, quidquid agitur claudicare.

Triplex bonorum genus inuenitur. Vnum pro ſe duntaxat optatum, & eſt Beatitudo. Aliud, quod ſolùm pro

alijs

alijs quæritur, & eſt bona animæ, & corporis tueri. Tertium, quod pro alijs, & pro ſe amatur, & in animam, corpus, ac bona exteriora extenditur. Tot porrò boni conſiderationum ambages, quoad ſe tendunt, & quoad homines tendere ad veram deberent felicitatem, quæ pro obiecto humanæ vitæ oculis foret anteponenda. Nunc infra prædicta bonorum genera, ecquis in ſuis actionibus ita ſe gerit, vt verè ad verum bonum proficiſcatur? Pauciſsimi ſunt, qui bonum ſibi non deſiderent, ad finem tamen plùs ex-

ternæ, quàm internæ felicitatis. Et ſi aliquando hæc expetitur, ſolùm vt melior illi accedat conditio expetitur. Intantùm ad virtutis adeptionem exſudatur, inquantum ad facultatum, honorum, dignitatum conſecutionem progreſſum diſponit, & ſimilium, ferè ſemper commoditatem corporis intendentium. Quamtumuis ſtudium animum debilitet, ac corpus eneruet, illius damnum ſuaue redditur, quia lucroſum. Inter libros degere eſt inter viuos mori, inter mortuos viuere. At libenter huic morti viuitur, vt in-

inter viuos meliùs viuatur, nec vnquam vt benè mori diſcatur. Si in noſtris cupiditatibus Beatitudo inſpiceretur, illa profectò odiſſemus gaudia, quæ magis deſiderantur. Eſt ea non minùs æterna felicitas, quàm felix æternitas; Sunt hæc non minùs mœſtæ fragilitates, quàm fragiles mœſtitiæ. Illius perfecta omnis cõſolatio; iſtorum perfectiſſima omnis afflictio. Illa fletum neſcit; hæc riſum ignorant. Illa ſuis iucunditatibus immortalitatem cõmunicat; hæc aliqua in ſuperfluitate periculo Mortis exponunt.

Si igitur tam æſtimabilis theſaurus, ſicut è tot rationibus percepiſti, ſolùm virtutibus acquiritur, inſpiciamus nunc quanam in earum adeptione vtaris diligentiâ. Virtus generaliter ſumpta, (vt ab vniuerſalibus, quippe quæ faciliora captu particularibus, exordiamur) eſt habitus in animum introductus, iuxta prudentiæ normam, vt idem animus ad mediocritatem, quoad quemque ſpectat, in ſuis paſſionibus reducatur. Tanquam habitus, actuum frequentatione neceſſe eſt perficiatur; non enim à mera eſt

in nobis Natura, niſi quoad quaſdam inclinationes, & diſpoſitiones plùs vni, quàm alteri participatas, quæ voluntatis fauore ad praxim demandantur. O vtinam in hoc ipſe mentirer! Sic omnes æquis Virtutibus dotaremur, & omnia æquo tramite ducerentur, ſicuti ruũt ex oppoſito. Sed dic, numne dici poteſt, o Homo, minimam etiam tuarum actionum vel mediatè, vel immediatè ad Virtutis adeptionem tendere? Nequaquam ſanè. Experiamur.

Ad hoc primùm neceſſaria eſt recta educatio. Tu verò

tam ex parte educantis, quàm educati, ſemper malè aleris. Genitorum vitia, quòd ab illis parùm probis ætatulæ tuę non abſcondantur, per quandam in te tranſeunt ſucceſſionem. Tu pro rectis dogmatibus obſeruandis, derides; & laxis habenis ad eam exemplorum prauitatem, quæ etiam præter agentium intentionem à parentibus præſtantur imitandam, velociſſimè tranſcurris. Heu nimis tibi, vt ex eorum ſanguine oriundo, eorum quoque inclinationes continuò præſtat Natura! Sicuti ex figulo figulus, ex mangone mango vt plerun-

que progeneratur; ita ex cupidineo cupidineus, ex aleatore aleator frequenter naſcitur. Pædagogi poſtea ſatiùs pænè dixerim foret, nè pauculas, quas docent, humaniores litterulas edocerent, nam totidem inhumana conferunt vitia. Verùm eſto, quòd tam Genitores, quàm Magiſtri benè edoceāt, & meliùs afferant exemplum, quinam ij ſunt Nati, ac ij Studentes, qui velint rectè intelligere, ac rectiùs obedire? Hinc quæ ſequuntur ad Virtutem quoque neceſſaria ſuperexiſtima. Obedientiam videlicet erga Patres, & tolerantiam in-

Magiſtros. Et tamen ſi illi admonent, moroſi fiunt; ſi hi verberant, odio habentur.

Educatione non minùs voluntaria requiritur diligentia. Et Tu omne aliud exoptas. Diligentiam tuam, quoad ſe ad Virtutes addiſcendas ordinandam; ad vacationes, negligentias, excuſationes diſponis. Nihil niſi nugarum, conuerſationum, inſolentiarum cura in voluntatem incidit. Aſſignata indignaris themata; præſcriptarum te piget lectionum, repetitionibus perturbaris. Quid inde, ſi pro hominibus iumenta educantur bipedanea?

Non

Non immeritò diligentiæ ſuccedit pura cupiditas ea per rationem ſciendi, ad quæ intellectiua non peruenit imbecillitas. Tu autem quid erudiri deſideras, quid meditare? Ad earum intelligentiam peruerſitatum philoſopharis, quas æui immaturitas tibi ſcire non permittit. Eorum profunditatem æquiuocãtiũ inueſtigas, quæ te in ſodalitijs iucundum reddant Aretalogum. Eorum philoſopharis capacitatem libellorum, qui ſub piorum dogmatum velo nefanda abſcondunt. Iudiciarias circum meditaris prædictiones, quæ

præ-

præter ingenij confuſionem ab ea irrefragabili te amouent veritate, ad quam omnes hominum forent dirigendæ cogitationes. Hinc creſcunt capita, quæ pro veracium copia doctrinarum, indigeſtas opiniones, & temeraria in medium afferunt axiomata.

Ne hæc fundatæ cogitationis voluntas ſuo fine deſtituatur, ſudore madendum inceſſanti. Tu verò ad quid ſudas? Sudas vulgaribus operis, laborioſos circum ludos, ad viliorum artium exercitia. Pro folijs in Athenæorum receſſibus non minùs atramentorum do-

ctri-

ctrinâ, quàm ſudorum erudi-
tione irrigandis, in domeſticis
ſudas officinis potiùs ad tui otij
curioſitatem ſatisfaciendam,
quàm ad tui, alieníque intelle-
ctus documentum. Sudas in
Aleatorijs, alienæ rei ductus a-
uiditate, nec in Academiarum
palæſtris ad vires in diſciplinis
menti addendas; In domibus
viliores exequeris functiones,
ne ſtipendiorum coquis, famu-
lantibus, & baiulis debitorum
diſpendijs ſuccumbas. Nè po-
ſtea admirere, ſi Oratores Au-
ditoribus carent; ſi infelices
Philoſophi ad Feras docendum
coguntur recedere; ſi Deorum
delu-

delubra cultoribus deſtituuntur. Ecqua tandem in re ijs, in quibus non deberes, exceptis, non exſudas? In vanis venationibus gulæ, & genio ſatisfacis; in Lupanaribus nefandiores appetitus exſaturas; in Foris veritatem impugnas, falſitatem tueris. O neglectos ſudorum vniones, ad cęnum proiectos, &, corrupti ſæculi defectu, Dariorum ſcrinijs inacceptabiles.

Nec ſufficit Sudor. Habendus eſt intelligentiæ ſuperiorum amor feruidiſſimus. Et tu ad quid percipiendum te fatigas, quid diligis? Amas voluptates, pompas, prædia, digni-

gnitates. Curas venuſtates, luxus, ſcorta; præter Virtutem omnia. Quoad intelligendi cupiditatem, fabulas, aſtus, nouitates, ſimulationes, impudicos ſermones, amoris luctas, ironicas exaltationes, & quidquid pro te ſatiùs foret ignorare. Quidnam poſtea admirationis, plures eſſe Virtutis perſecutores, quàm Amantes; pluribus apprehendentibus iniquas lectiones abũdare, quàm rectas? Ignauiæ tenebræ earum pulcritudinem obſcurant.

Huiuſcemodi Amoré ſcopus gloriæ ſubſequitur. Et iurè;

rè;amor enim Virtutis gloriam parit. Sola hæc forma eſt ſimplex,ad quam tot prædictæ diſpoſitiones deberent animum introducere. Et tu qua illam ratione inſectaris? Non modò nil curas ediſcere, ſed tantùm vitijs ſtudes, & inſanus ab illis gloriam ſperas. Crapulæ, otia, cubilia, choreæ, commoditates,copię ſeruorum,calcitronum domituræ haud apta ſunt ad nomen acquirendum inſtrumenta, vt tua ſomniat dementia. Solæ Virtutis actiones ad gloriam aſcendendam ſunt gradus. Quonam aucuparis famam iure obſerua, & quo-

quomodò laudabilis ſis, dignoſces. Sub fuco latent quæ tibi externæ proclamationes, & adulationes domeſticæ falſam tribuunt gloriam. Hominum plauſus plerunque non ſine velamine. Eſto te aliquid laudis adipiſci. Vera non eſt laus, quæ alij innititur fundamento, quàm Virtuti. Cõcedaris quoque à prædictis, quod ferè nequit fieri, ſegregatus, Virtuti operam impendere. Gloriam conſequeris; quid inde? Ecquis eſt, qui ſolummodò famæ gratiã ætatem in libris tranſigat, cerebrum ſibi ſtillet, noctes interrumpat, vt immortalis viuat,

tuat, emoriatur? Ad id ſolùm incumbis, vt ſortem tibi augeas, gradus conſequare, ſtirpem nobilites, aut vt potiùs monetarum litteris hæredes poſt te filios facultatibus abundantes relinquas. Pura gloriæ intentio non eſt, quæ alijs finibus intercipitur. Quid doles poſtea, ſi etiam Virtutem ſectando plerunque gloria non acquiritur? Hinc fit, quòd in mera Virtute non fundatur. Et ſicuti Virtus, & Vitium non coëunt, ita Virtutem Vitio labefactatam nunquam gloria concomitatur. Ad ſummum, Laus vmbra eſt, quæ neceſſariò

Vir-

Virtutem, tanquam corpus, directè ſubſequitur, nî tamen aliquo alio fine interpoſito interrumpatur.

Vt ad metam adeò deſiderabilem perueniatur, opus eſt id genus diſpoſitiones ad praxim circum naturales defectus traducere, vt ipſis medicamina applicentur. Id fit morum philoſophiâ, Vitium ſcilicet animi morbum remouendo, ac Virtutem illius ſanitatem introducendo. Quantùm lacrymabile eſt, mi Homo, illud intueri, quòd ſi quid corpus moleſtat, ſtatim totis viribus occurritur, at ad animi, qui multò

eſt corpore nobilior, curationem, nullum prorſus apponitur remedium! Affectus animi principes, ad quos cæteri reducuntur, ſunt Delectatio, & Dolor. Quoties illis animus nimiùm ægrotat, ad Moralium Virtutum medicamen recurrendum. Sunt hæ Fortitudo, Fides, Temperantia, Vrbanitas, Clementia, Simplicitas, Modeſtia, Frugalitas, Liberalitas, Magnanimitas, & innumeræ, quas, vti his ſubalternas, conſultò prætereo. Ipſæ tamen affectûs debent moderari, non euellere, ſicuti ad corporis ſanitatem non omninò tollendæ,

ſed

ſed temperandæ ſunt primæ elementorum qualitates. Si Ira, & Concupiſcentia Rationi ſe ſubiecerint, vitioſi affectus corrigentur, & in naturalem ſtatum reponentur. Omninò ad Virtutum Moralium formationem neceſſaria eſt arbitraria electio. Huic à ſuimet cognitione origo eſſe debet. At pauci ſunt, qui id curent ſcire, quod ignorare diffitentur, quamuis herclè penitus ignorent. Hinc innumeri ſunt, qui propriam ignorantiam ſibi ſcientiæ attribuunt. Amor ſui cæcus ignorantiam ſui cauſatur. Et qui ſe ipſum non intel-

ligit

ligit, nec prudens, nec doctus eſſe poteſt, nec de ſe, nec de alijs rectè iudicium proferre. Animi infirmitate, amore videlicet ſui, qui vitioſa eſt ignorantia, ad ſanitatem redacta, felicitatis iter ſuſcipitur.

Huic cognitioni ſuccedit corporis reſpectus, & rerum poſſeſſarum recta ordinatio. Hæc duo vt intelligantur, Prudentem eſſe oportet, ac Sapientem. Quare cùm Homo colitur, vt intrinſecè immortalis, hic fragilitati honos minimè tribuendus. Felix ſolùm ille, qui partis æternę cognitionem reſpiciet! Hic ſolus intellecti

po-

poterit peruenire ad meditationem Superiorum, & ad ſuimet cognitionem, vnicum rectè, ac beatè viuendi, moriendiq; inſtrumentum. Hinc væ illi, qui, tam neceſſaria conſideratione contempta, fragilem duntaxat ſui partem dilectione proſequetur. Hic ſui amore obcæcatus nullo pacto poteſt Moralibus illuminari Virtutibus, ad humanorum affectuum correctionem ordinatis.

Atque vt ad has deſcendam, primùm tibi, Homo, ante oculos fortitudinem pono. Eſt ea animi perſeuerantia in ijs, quæ bona ratio dictat, vel pro-

ſequenda, vel trepidanda. Hominem in aduerſis conſtantem reddit. In periculis exercetur, quorum eſt contemptrix. Tantæ Virtutis poſſeſſorem te nequis, Homo, iure extollere, qui nimis audacter id, quod tuis haud conceſſum eſt viribus, ſubitò ſuſcipis inconſultè, & ab ijs, quæ aliquid, parùm licèt, in ſe retinent difficultatis, ſtatim recedis. Ab ijs tamen loquor, quæ Virtutem ſapiunt. Verùm quid difficilius, quàm improbè operari? Et tamen tu vſquequaquè id tam intrepidè ſuſcipis. Qui labores Auarum in cumulando non perturbant?

Sub

Sub diuitiarum pondere ingemit, & litigantium diſperit in multitudine. Quas contentiones non ſuſtinet Laſciuus, vt libidinum ſuarum ſummam ex ephœbeis contentam reportet? Noctes, dieſque & ſudat, & alget. Quæ pericula Vltor non inuenit, veluti gladiorum, vulnerum, ac multiplicitatis inimicorum, cùm ſolus, & inermis? Ad furandum innumeri opponuntur occurſus, tùm laboris, tùm furcarum. Ad falſi affirmationem quæ faſtidia non toleras? Plus habet ſemper grauaminis Mendacium, quàm Veritas; hæc enim in

maris diſcordiarum ſummitate portum ſemper aſpicit exultans. Ipſa ſibi eſt probatio. Ne ſub faſtûs ſarcinis diſpereas, quos corporis languores, quas carnium macerationes, quas membrorum cõtorſiones non pateris? Quibus pannorum ponderibus, holoſericorum denſitatibus, acu pictis grauaminibus, aliorumq; veſtimentorum non ſuccumbis? Hæccine tibi videntur proſequenda rationabiliter, tentanda, ſuſtinenda? Vera Fortitudo eſt, quæ non tantùm malorum, ſed & Voluptatum euadit victrix.

Secundo diſcutiatur Fides

gra-

gradu.Eſt mutuæ inter homines in quacunque aut aduerſitate, aut proſperitate promiſſionis inuiolabilis obſeruatio. Chirographo poteſt æquari, quod ſigillo decoris ſignatur, & boni Viri nomine ſubſcribitur; quare ſub infamiæ mulcta ante Honoris tribunal vim legis ſuſtinet validiſſimam. Tu verò quoties abſque vlla occaſione illas fregiſti pactiones, quas etiam ſi rumpendi occaſio fuiſſet exhibita, inuiolabiliter tamen, ac aſſiduè ſeruare debueras? Tam magnum non reperitur irritamentum, quod

iure legitimo inter Amicos Fidem debeat infringere. Et tamen vel leuiſſimi lucri ſacrilegio non modò fœdera dirimuntur, ſed etiam grauiſſimè Amicus offenditur. Patria, ac Parentes abnegantur. Quid? Cruor effunditur; ac vt effundatur exhibetur commoditas; corpus perditur, ac pars incorruptibilis exhalatur. Ah quoties poſt confirmatam millies beneuolentiam, non tantùm Amico haud clypeus fuiſti, ſed in maioribus periculis deſeruiſti. Neque hoc contentus (o crimen cæteris turpius, ſed heu nimis

vſitatius!) doloſis ſuaſionibus in Mortis fauces proieciſti! Indelebili nota in mente hoc ſulpas. Sæpiſſimè capientem captus capit.

Tertium honeſtet locum Temperantia. Eſt ea in motus indecentes Rationis dominium. Aut dicamus Immodici appetitus Potentiæ concupiſcibilis eſſe moderationem. Eſt Matrona, quæ omnium partium appetentium, quaſi ancillarum, actionibus præeſt. Tu verò, qui illius, & harum es Princeps, mi Homo, quam legem præſcribis? Quoad me, ſi verum

liceat fateri, te quouis in appetitu inordinatum, & ab omni moderatione prorſus remotum perlugeo. Perlugeo in Senſu incontinentem, in Crapulis diſſolutum, in ambitione excedentem, in verbis immodeſtum, in ira impatientem, damnoſum in inuidia, denique in cunctis ferocioribus Vitijs effrænem. Et hocne eſt ijs affectibus ſuperiorem eſſe, quorum in eo ſtatu Princeps? Qui ad potentiam Virtutis exercendæ natus eſt, nec exercet, tam nobilem potentiam demeretur.

Me ę ratiocinationis filum

col-

colliget Vrbanitas. Eſt decens actuum comitas, qui in ciuili vita exercentur. Hominis eſt ita inter Homines conuerſari, vt nec nimis grauis, nec nimis abiectus appareat. Hinc ipſa motum facetiarum, & ſalium cum honeſtate coniunctorum exhibet; ſemper tamen aſtantes, locum, ac tempus reſpiciendo. Quapropter ij, qui has conditiones, ac circunſtantias negligentes, in obſcęnitatem ſermonũ tranſcurrunt, quamuis aliunde ciuiliter degant, non Vrbanorum, at Scurrarum potiùs nomen merentur. E contrà qui

nimis ſcrupolosè quidquid leuius dicitur pro inobſeruantia acriter taxant, magis ruſtici, quàm Ciuiles debent nuncupari. Et tibi decentes mores, ac conueniẽtes videntur comitates in conuerſationibus omne dictum pro fœtido reſpuere, doctrinis indigeſtis cuicunque ſyllabæ te opponere, omne aduerſus verbum duellum committere, in opinionibus obſtinatum perſiſtere, rationi non cedere, pro malo bonum ſumere, pungentibus vti ſcommatibus, in facetijs quoque decentibus excedere, in alte-

rius

rius defectum argutias proferre, nimis palam adulari, nimiâ redarguere arrogantiâ; ruſticum, incompoſitum, indiſcretum, petulantem, audacem te oſtendere; ad ſummum quando, vbi, cum quibus, ac de quibus loquaris non reſpicere?

Quid? Propriorum etiam, nedum alienorum defectuum veritatem viuaciter attingis. Nimiùm ſeueri calumniatoris ineptiam! Vbique te moroſum, impudentem, ac importunum reddis, quamcunque vocem, aut intuitum pro te eleuatum, ac

prolatam exiſtimando. Alia prætereo ex parte peculiarem tibi verborum inhoneſtatem, actuum, ac rerum inopportunarum narrationem. Hyperbolicas dimitto iactationes, infanda ſynonyma, phraſes ſacrilegas, anathemata horribilia, quippe quæ omnia vtrum ab hominibus proferri poſsint, dubitationem in mentibus excitant, & tamen in eorum ore quotidie verſantur! Verbo dicam, humanum corpus nonniſi honeſtorum motuum eſt egens, ſalutationum humilium, obſequioſorum. Facies ſolùm

rictibus abundat tetricis, horrendis geſtibus, ac terrificis ſuperciliorum contorſionibus. Lingua ſinceris caret laudibus, veris affectuũ expreſſionibus, ac ingenioſis concinnitatibus. Et hæc morum Vrbanitas, ciuiliſq; Vita poteſt appellari? Reminiſcere nimis licentes Mimorum geſticulationes plerunque in tragœdiarum Scenas conuerti.

Poſt Vrbanitatem ſuccedit meritò Clementia. Eſt ipſa animi benè diſpoſiti habitus ad iræ affectum moderãdum, rationabili temporis, ac hominum

minum reſpectu, ordinatus: Huiuſce inſeparabilis eſt comes Manſuetudo. Quare qui Clemens fuerit, patiens quoque erit, & moderatus. Superbam coërcebit partem, & ad debitos ęquitatis terminos reducet. Qui naturâ eſt manſuetus, ſi offenſionem ſentiat, facilè in vindictam non tranſfertur. Compoſitæ indicium tolerantiæ eſt clemens manſuetudo. Sic tamen in exercitium à te eam poni, Homo, non intueor, vt veritatis antecedentia in prædictis poſſim aphoriſmis conſtituere. Quouis verbo incautè dicto, & peſsi-

peſsimè vſurpato ad gladios ſtatim curris; quocunque obtutu illicò ad minas; quolibet actu ſubitò ad improperia. Videris mihi vale humanitati dediſſe,& in catalogo ſyluas habitantium voluiſſe cenſeri, non tamen vt, meo ductu, Feras Ciuiles prudenter effugias, ſed vt à nemorum accolis feritatem reportes. O pulcram quidem Hominis dignitatem ipſum omninò videre deſæuientem heu nimis linguam ad proximum defamandum Serpentium venenis armare; oculos ad alienam mortem Baſiliſcorum obtutibus;

bus; Manus ad viſcerum euulſionem Vulturum vnguibus; dentes ad vulnerandum Aprorum ſagittis; aures ad querelas Aſpidum ſurditate; pedes ad aliorum conculcationem Equorum vngulis; aſpectum ad exterminandum Leonum ſeueritate; & pectus tandem Tigrium furore ad illius dilaniationem, quem ſæpè magis antipariſtaſi, quàm ratione odio profligamus! O inclementiæ exceſſum! Homo homini canis. Sed quid Homo? Homo non eſt, qui tempore Virtutem neſcit exercere; Neque id exequi poteſt,

reſt, licèt in omnibus alijs Virum ſe oſtendat, qui Clementiâ vti neſcit. Homo, arduum quidem eſt iram moderari. Homo & ipſe id fateor. Sed quò plùs de ea triumphatur, magis eſſe Hominis portenditur. Quid enim aliud eſt Humanitas, quàm Clementia?

Sed quoniam Virtus tam venerabilis magis ad Principes ſpectat, quippe quibus propter dominium maior illius exercendæ datur occaſio, poteſt etiam Virtus, quæ ſuperiorem erga inferiorem in pœnis imponendis excitat ad pie-

pietatem, nuncupari. Non me latet innumeras ab impiorum punitione vtilitates Regnis reſultare. Exemplo bonos ad maiorem animāt probitatem; malos ab iniquitatibus deterrent. Potiùs inclementem Iuſtitiam, quàm iniuſtam Clementiam in eos exerceant Sceptriferi. Hac in re Clementiâ vti inclementiæ accuſat. Sed alia quoque ex parte vbi reatus eſt leuis, & conſequenter aliquem veniæ locum recludit, Lenitati, non Iuſtitiæ omninò obtemperandum. Cunctarum Virtutum ſibi exigit vectigal quæ tem-

tempore iuſtitiam temperat Clementia. In Regnantium pectore nollem regnaret paſſio. Clementiæ tantum locetur domicilium; quæ cùm & ipſa ſit Virtus, mali non erit inquilinatus. Conſiliarijs, qui in Principum mentibus, pro pietate inſinuanda, ſolùm ſæuitiam accendunt, videor mihi nimiam clementiam adhibere, ſi tantummodò eos, tanquam perditionum auctores, ex Aulis eijciendos pronuncio.

Opprobrioſum pariter cēſeo Potentes Mimorum, aut Fœmellarum precibus aures

ſubi-

ſubitò aperire; ſicuti neque alios fines reſpicere laudandum exiſtimo, quibus iuſtitia vel diminui poſsit, vel impediri. Aliter, facilè aut querimonijs vincentur, aut detractiones prouocabunt. Hac verò de materia ipſe, qui nunquam alijs, niſi mihimet, imperaui, eos admonere non vrgeor. Si vellent, ſatis ex ſe poſſent ediſcere. Ad hoc potentes nati; ad hoc Diadematum acubus ſollicitantur. Meminerint tamen Cœlum irritare, qui grauiores culpas condonans, innocentiam poſtea condemnat. Orbem prouo-

cat

cat vniuerſum qui in oppreſſores, ac rerum alienarum nebulones eſt mitis, cùm ad Pupillorum vſurpationes, Viduarum oppreſsiones, ac Ciuium grauamina inclementer obdormiat. Et tamen ex ijs reperti ſunt, qui in ſuis Regionibus illicitam fœnorum continuationem, vſurarum infamiam, decoctionum dolos impunes ſuſtinuere! Qui in publicis ſemitis, nedum in prouincijs, ac maribus ſibi ſubiectis, piratas, lattrones, ac ſicarios clauſis oculis inſpexerunt! Qui huic hominum generi in ſuarum aſilis Ciui-

tatum

tum receptaculi certitudinem permiſere! Meminerint, inquam, hoc eſſe criminibus lætari; pietatem non eſſe, quæ impia eſt; ac indignè Sceptrum tractare, qui illud ad Nequitiæ terrorem non extollit.

Eia age nunc, Heraclite, afflictam Simplicitatem tuis Fletibus conſolare. En eam ante oculos mentis Virtutem, quæ animi alienis ſuaſionibus propter ſuam bonitatem facilè credentis eſt habitus, à cunctis deſtitutam. En eam, inquam, margaritim, quæ è radio probitatis, & conchâ fidei

dei oriunda, illius accola eſt Maris, in quo omnium calamitates leuaminis tranquillitatem inueniunt, ab omnibus neglectam. Heu quot paucis in pectore tam pretioſa candeſcit gemma! Nunc iure è concha fidei oriundam dixiſſe me ſentio; ſi enim quidquid oritur, moritur, facilè ſi oriunda tam nobilis Virtus, cùm nunquam cognouerim, iam interijt.

Ah quoties ſpeculationis volatibus ad contemplationis ſubleuor turrim, atque illinc Mundanam hanc miſeriarum ſyluam deſpiciens, in me conuerſus,

uerſus, ad Simplicitatis propoſitum, ſic alloquor! O quot fictores Monarchæ ibi commorantur, Reges Tyranni, Principes auidi, Nobiles ambitioſi, Pauperes ſuperbi! Hinc iter meditationis proſequens, quot Iudices venales, Iuriſtas cauillatores, craſtinantes Patronos, Clientes rabidos, fallaces Notarios, falſos Teſtes, Accuſatores mendaces inter lappas, & tribulos circum eã ſe rotantes intueor! Quot illam circumſæpiunt, ad candorem deterrendum, Scriptores Satyrici, Quæſtioniſtæ opinioſi, Hiſtorici ampliſi-

pliſicantes, Philoſophantes curioſi, vitioſi Poëtæ, audentes Studioſioli, Medici venenantes! Quot Aulici bilingues, Pædagogi arrogantes, Sacerdotes deſidioſi, fraudolenti Mercatores, deceptores Proxenetæ, Belligeri defectores, Amantes infidi, vſurpantes Tutores, inobedientes Pupilli, prodigi Nebulones, auari Senes! Quot, ne Innocentia ingrediatur, ſpineam illi efformant ſæpem Simulantes laruati, Paciſcentes malitioſi, impoſtores Alcumiſtæ, Familiares maledici, lenoncinantes Famuli, Alcatores ſub-

doli, proditores Ciues, Ruſti-ci furaces, o quot! Quot illam pererrant Matronæ effrænes, Anulæ faſcinantes, Monedulæ tribades, Viduæ impudentes, tædioſæ Vxores, Veſtales ægreferentes.

Ad alium poſtea latus detorqueor, & mecum ſic exclamo. Heu quàm pauci dulci in ſimplicitate illic viuunt integræ: Homines puritatis, ſua contenti ſorte, in actibus modeſti, in dictis humiles, in operibus candidi! Quot, inquam, pauci ſincerarum cogitationum, viuacium affectuũ, ac veracium effectuum

Viri

Viri illius nemoris habitatores inſpiciuntur! Ah ferè nullus! Nec vllus quidem Honoratus, Fidelis, Pius, Miſericors, Beneficans, Magnanimus ibi cernitur. O nobile Simplicitatis ſemen diſperſum! Aedepol quidem ſic viuere, eſt ſe totum probitatem, rectitudinem, ac ſinceritatem patefacere. Humanitas, tecum loquor; aures arrige. Quiſquis erga alios laruatâ vtitur innocentiâ, ſibi inſidias machinatur.

Tot inter derelictæ Simplicitatis mœrores, ac meos de illa queſtus, ſi quis me hæc

inter deſerta audit, & obſeruat, Frugalitatis ſeptimo loco examinandæ oblitum fuiſſe non exiſtimet. Eſt ea igitur inter Auaritiam, ac Prodigalitatem ad rectum rerum vſum benè diſpoſita mediocritas. Hanc vagum veluti ſimulacrum miſeram inter, ac ſplendidam viuendi rationem architecta poſuit Natura, vt Homo puluere conſtructus benè viuendi normâ à Statuis imbueretur. Diligens eſt Oeconoma, quæ res poſſeſſas cuſtodit, ad vtile ſolùm collocat, ſuperfluos tollit ſumptus, immodicum luxum,

xum, ac mutationes fugit inopportunas. Semper tamen, cùm ratio exigit, ad quidquid neceſſarium, reſpuit in ſumptibus continentiam. Tam claræ dignitatis eſt Virtus, vt pęnè cum Liberalitate conuertatur, niſi quòd vna imprudenter dando, altera imprudenter retinendo verſatur. Liberalitas porrò eſt Virtus beneficiorum remuneratrix, quæ ob affectum, quem oſtendit, Benignitas; ob effectum, quem exrcet, Beneficentia nuncupatur. Vt vera tamen ſit Virtus, compenſationis ſpem recuſat. Abſque

donantis iactantia poſtulat effici. Secus ad laudem percipiendam eſſet dare, & ſic ſibi dedecus emere. Dic, Homo, quonam pacto ſorores has Virtutes foues, & colis? Frugalitas inter Auaritiam media eſt, & Prodigalitatem; ac tu in his nulla vteris mediocritate. Vel es tenax, vel nebulo. Aut ſuperfluis naturam vrges, aut neceſſaria ipſi denegas. Quot ſunt, qui ad alicuius voluntatis ſatisfactionem vna die ærraria deplent? Quot verò alij, qui toto tempore vitam extenuant, vt nec vno quidem aſſe ſibi cenſus diminuatur? Fru-

gali-

galitati parùm prodeſt parſimoniæ decentiam ſuggerere. Habitus ſingulis anni temporibus geminatos, varijs coloribus intinctos, ac materiarum diuerſitate contextos tua exigit inſatiabilitas. Goſſipiorum, Lanarum, ac Sericorum multiplicitatem exoptas. Sat capax tibi non ſufficit domus. Et Vrbe, & Ruri vis Palatia. Mediocris pretij lectus, ac ſcamnum quietem cuique poſſunt proſternere. Tibi immenſæ exiſtimationis ſupellex non ſatisfacit. Sine ſuperfluo, ſine vita te iudicas. Si artes exerces, inſtrumento-

rum ſufficientia, nec mercium copia vnquam deſiderium tibi ſedant. Blattas ſuperbis ſaturare. Si ſtudes, Librorum faſtidis raritatem.

Et tamen, vt ſeriò loquar, vnus panis, ac ferculum vnum hominem enutriunt; pauci aquæ hauſtus à ſiti exſoluunt; tempeſtiua cooperit tunica. Quid tot igitur ornatus, ac rerum varietates magis ad implicationem, quàm ad vſum hominis, qui tandem in nihilum diſſoluitur, repertas? Tot non opus erat ſuperfluitatibus, dapum inuentionibus, liquorum diuerſitatibus;

tot xylinorum, ſtaminum, ac ſericorum vbertatibus. Quid tot galeri, capitia, ac cuculli aſſiduè permutantur? Par calanticarum capiti tegmen per decennium ſatis decorè ſubminiſtrat. Quid tot Curiales Togæ, Sydonij Suppari, Diploides Magiſtrales? Tot pectoris, lateris, ac pedum Symbola quid ſignificant?

Qui ad numerum redigere ſibi aſſumeret omnes inſtrumentorum ſuperfluitates, quibus Artifices, ac Negotiatores vtuntur, veluti Staterarum, Bilancium, Librarum, anni diſcurſum ſibi aſſumeret. O

quot adhibent vncias, drachmas, ac ſcrupulos! Quot vtuntur Sextarijs, Eminis, Modijs, Modiolis! Quot tenent Cubitus, Pedes, Paſſus! Quot ipſis deſeruiunt vnci ferrei, arpedones, ſcapi, halpages! Quot implent lagænas, hydrias, culcos! Quot diſponunt mappas, ſalina, patinas, pocula, & quid dicam? Qui ſigillatim porrò omnes merces, quæ ad humanam non dicam commoditatem, ſed curioſitatem adimplendam, venduntur, ac præparantur, exoptaret recenſere, nunquam finem profectò inueniret.

Quid

Quid tot Ædificia, ſpatioſi recinctus, ac moles altiſſimæ? Quid tam ſpectabilis domeſticæ rei opulentia, tot cubilium genera, tot conopęorum apparatus, tot confuſiones puluinarium, ſtragulorum, ſyndonum, tabularum; tot aulæa, ſtatuæ, thoreumata, graphides, ſculpturæ, cælamina, picturæ, ſi vnâ plus culcitrâ non impedimus, ſi ſola lodix nos cooperit, ſi vnum habitatur cubile, & ſi plus quattuor terræ nudæ palmis non occupamus? Quid in tot Libris annos, ſpiritus, ac vitam conſumere, vt ex illis malum

potiùs, quam bonum ſæpiſſimè ediſcamus, ſi tandem nil aliud ſunt, quàm paucarum numero litterarum millies, ac millies inter ſe conuerſarum ambages? Ad ſummum hami, arpagines, viſci, funes, retia, ac catenæ ea ſunt omnia, quæ non minùs inutiliter enumeramus, quàm quibus innumeris non vtimur. Nunquã ſatiabilis Mortalitas, hoc vnum præ cæteris annota. Copia maxima ingens inopia.

Quoad Liberalitatem poſtea, in hac quoque ſemper excedis. Aut nihil, aut nimiùm do-

donas; vel ignoto, vel immerenti. Verum eſt ex benè merendo de omnibus nunquam malum reſultaſſe. Sed benefacere non eſt ei bonum conferre, qui beneficio malè vtitur. Nec bonum facere eſt, Vitio id tribuere, quod Virtuti foret ingeminandum. Sępiùs diuiti donas, quàm egeno. Id porrò eſt tibimet dare, nam ſublatet vtilitas. Emit homines beneficentia. Verùm homines non eſt emere, eis beneficium afferre, qui, cùm Vitioſi ſint, Hominis nomen demerentur. Qui benè donat, fundum ſibi ſtabilit; qui malè,

lè, & fundum, & lucrum, quod ex benè donando perciperet, amittit. Aſtræa Gladio Libram tueri effingitur, ne in diſtribuendo ad iniuſtitiam deflecti ediſcas tremefactus. Sed heu quot Ciues præ nimis, & nimis malè donando ad pauperratem redacti, & conſequenter Amicorum fabula, Parentum contemptus, Conciuium deriſio, ac Magnatum ludibrium heu nimis facti ſunt! Quot Nobiles (ah triſtem ad memoriam frontem irrigat ſudor!) ſuam propter Prodigalitatem Mercenarij Homicidæ, ac peius euaſerunt,

ſerunt, & infamiæ repudia, Auorum, ac Nepotum dedecus, carcerum impedimenta, remorum fatigamina, ac furcarum rhopala ſuperfuere! Quot Potentes vitioſam propter Largitatem tyrannide viuere coacti ſunt, iniuſta vectigalia è Poſſeſsionibus, Focis, ac ipſis ſubditorum capitibus exigendo! Accuſatores ad fictum crimen ſeduxerunt; ad augenda ſupplicia leges diminuerunt; innocentes ad Fiſci diuitias decollarūt. Quid poſtea è tot ſceleribus reportarunt? Magiſtratu abdicati, cæſi, ac ſubmerſi. Sic benè

pro

donantis iactantia poſtulat effici. Secus ad laudem percipiendam eſſet dare, & ſic ſibi dedecus emere. Dic, Homo, quonam pacto ſorores has Virtutes foues, & colis? Frugalitas inter Auaritiam media eſt, & Prodigalitatem; ac tu in his nulla vteris mediocritate. Vel es tenax, vel nebulo. Aut ſuperfluis naturam vrges, aut neceſſaria ipſi denegas. Quot ſunt, qui ad alicuius voluntatis ſatisfactionem vna die æraria deplent? Quot verò alij, qui toto tempore vitam extenuant, vt nec vno quidem aſſe ſibi cenſus diminuatur? Fru-

gali-

galitati parùm prodeſt parſimoniæ decentiam ſuggerere. Habitus ſingulis anni temporibus geminatos, varijs coloribus intinctos, ac materiarum diuerſitate contextos tua exigit inſatiabilitas. Goſſipiorum, Lanarum, ac Sericorum multiplicitatem exoptas. Sat capax tibi non ſufficit domus. Et Vrbe, & Ruri vis Palatia. Mediocris pretij lectus, ac ſcamnum quietem cuique poſſunt proſternere. Tibi immenſæ exiſtimationis ſupellex non ſatisfacit. Sine ſuperfluo, ſine vita te iudicas. Si artes exerces, inſtrumento-

rum ſufficientia,nec mercium copia vnquam deſiderium tibi ſedant. Blattas ſuperbis ſaturare. Si ſtudes, Librorum faſtidis raritatem.

Et tamen, vt ſeriò loquar, vnus panis,ac ferculum vnum hominem enutriunt; pauci aquæ hauſtus à ſiti exſoluunt; tempeſtiua cooperit tunica. Quid tot igitur ornatus, ac rerum varietates magis ad implicationem, quàm ad vſum hominis, qui tandem in nihilum diſſoluitur, repertas? Tot non opus erat ſuperfluitatibus, dapum inuentionibus, liquorum diuerſitatibus;

tot xylinorum, ſtaminum, ac ſericorum vbertatibus. Quid tot galeri, capitia, ac cuculli aſſiduè permutantur? Par calanticarum capiti tegmen per decennium ſatis decorè ſubminiſtrat. Quid tot Curiales Togæ, Sydonij Suppari, Diploides Magiſtrales? Tot pectoris, lateris, ac pedum Symbola quid ſignificant?

Qui ad numerum redigere ſibi aſſumeret omnes inſtrumentorum ſuperfluitates, quibus Artifices, ac Negotiatores vtuntur, veluti Staterarum, Bilancium, Librarum, anni diſcurſum ſibi aſſumeret. O

quot adhibent vncias, drachmas, ac ſcrupulos! Quot vtuntur Sextarijs, Eminis, Modijs, Modiolis! Quot tenent Cubitus, Pedes, Paſſus! Quot ipſis deſeruiunt vnci ferrei, arpedones, ſcapi, haſpages! Quot implent lagænas, hydrias, culcos! Quot diſponunt mappas, ſalina, patinas, pocula, & quid dicam? Qui ſigillatim porrò omnes merces, quæ ad humanam non dicam commoditatem, ſed curioſitatem adimplendam, venduntur, ac præparantur, exoptaret recenſere, nunquam finem profectò inueniret.

Quid

Quid tot Ædificia, ſpatioſi recinctus, ac moles altiſſimæ? Quid tam ſpectabilis domeſticæ rei opulentia, tot cubilium genera, tot conopęorum apparatus, tot confuſiones puluinarium, ſtragulorum, ſyndonum, tabularum; tot aulæa, ſtatuæ, thoreumata, graphides, ſculpturæ, cælamina, picturæ, ſi vnâ plus culcitrâ non impedimus, ſi ſola lodix nos cooperit, ſi vnum habitatur cubile, & ſi plus quattuor terræ nudæ palmis non occupamus? Quid in tot Libris annos, ſpiritus, ac vitam conſumere, vt ex illis malum

potiùs, quam bonum ſæpiſſimè ediſcamus, ſi tandem nil aliud ſunt, quàm paucarum numero litterarum millies, ac millies inter ſe conuerſarum ambages? Ad ſummum hami, arpagines, viſci, funes, retia, ac catenæ ea ſunt omnia, quæ non minùs inutiliter enumeramus, quàm quibus innumeris non vtimur. Nunquã ſatiabilis Mortalitas, hoc vnum præ cæteris annota. Copia maxima ingens inopia.

Quoad Liberalitatem poſtea, in hac quoque ſemper excedis. Aut nihil, aut nimiùm

do-

donas; vel ignoto, vel immerenti. Verum eſt ex benè merendo de omnibus nunquam malum reſultaſſe. Sed benefacere non eſt ei bonum conferre, qui beneficio malè vtitur. Nec bonum facere eſt, Vitio id tribuere, quod Virtuti foret ingeminandum. Sæpiùs diuiti donas, quàm egeno. Id porrò eſt tibimet dare, nam ſublatet vtilitas. Emit homines beneficentia. Verùm homines non eſt emere, eis beneficium afferre, qui, cùm Vitioſi ſint, Hominis nomen demerentur. Qui benè donat, fundum ſibi ſtabilit; qui malè,

ſerunt, & infamiæ repudia, Auorum, ac Nepotum dedecus, carcerum impedimenta, remorum fatigamina, ac furcarum rhopala ſuperfuere! Quot Potentes vitioſam propter Largitatem tyrannide viuere coacti ſunt, iniuſta vectigalia è Poſſelsionibus, Focis, ac ipſis ſubditorum capitibus exigendo! Accuſatores ad fictum crimen ſeduxerunt; ad augenda ſupplicia leges diminuerunt; innocentes ad Fiſci diuitias decollarũt. Quid poſtea è tot ſceleribus reportarunt? Magiſtratu abdicati, cæſi, ac ſubmerſi. Sic benè

pro

pro illis res ſtetit,licèt peſsimè pro alijs. Suas ſi merentibus diuitias fuiſſent impertiti, in tot calamitatibus ſubſidij cõpenſationem inueniſſent. Suũm erat reminiſci,quòd omne infinitũ finiti ablatione finitur. Qui malè donat,perdit,& perdit.Sed heu facilius eſt malè donare, cùm exiguũ vndequaq; ſit meritũ,quàm perdere!

Moralium examen Virtutum ſigillet Magnanimitas, maior fortaſſe, quæ cæteras inter humanæ vitę directrices dignitatem efferat adorãdam. Nec immeritò adorandam vocaui. Diuinam, imò magis

quàm

quàm Diuinam, exiſtimo; cùm nec in ijs quidem videam eniteſcere, qui, cùm Deorum imagines in terris colantur, aliquod ſaltem illius argumentum deberent oſtendere. Nihil aliud ea eſt igitur, quàm decens animi ſublimitas, quæ humana ad licitum contemnit, cùm ſe non ambitus oſtentatione, ſed propriæ Virtutis oſtenſione extollere Bonis nequaquam interdicatur. Laudabile eſt tanta præditi Virtute munus æquè vtramque pati Fortunam; nec ſuperbire, nec vileſcere, ſi à vulgi mobilitate vel euehatur,

tur,

tur, vel conculcetur. Omninò poſtea beatus poterit appellari, niſi copiam inhiabit opum; niſi alienæ potentiæ lumine obcæcabitur; niſi vltra modum Mortalitatis ſpolium æſtimabit. Suum quoque erit magnis non terreri periculis, offenſionem non timere, hoſtem non offendiſſe, at voluiſſe offendere arbitrari. Magna eſt Magnanimitas iniuriam obliuiſci, maxima beneficio compenſare. Hæc in amore laudis cum interna tantùm lætitia, ac opprobrij odio abſque interna mœſtitia, tanquam in ſubiecto fundatur.

In intimioribus affligor fibris, dum rarum adeò tantæ Virtutis, cæterarum omnium, vt ita dicam, epilogi, exercitium in hominibus contemplor. Nè interim queraris, Viuens, ſi animi indecentem duntaxat vtilitatem in te cernere fatebor, ac inæſtimabilem harum caducitatum æſtimationem. Quauis honoris collatione te illicò arrogantem intueor; nec vlla tamen ratione ad elationis mediocritatem tua te animat Fortitudo, nam totus es fragilitas. Tàm in Fauoribus, quàm in Fortunæ iniurijs lacrymandus deliras.

ras. Si proſpera, te præcipitas; ſi improſpera, deſperas. Vt Magnanimum te indices, cùm etiam non ſis, honores reportaturum ſperans, tuarum imparia virium ſuſcipis temerè. Nullatenus Magnanimitatis eſt hæc infima deſpicere rerum faſtigia, idonea tãtùm vilibus præmia.

Neque aſſeras grandiores quoque animos honores venari; cùm enim ſic ſe gerunt, pro vilioribus deploro. Ad abiectas Mundi dignitates, niſi coactum ſe humiliat meritum, non ijs inhiat. Non, vt aſſequatur, profundit theſau-

ſauros; ad actionum turpitudinem ſe non declinat; commendationes non emit. Plùs gaudet mereri, quàm obtinere.

Præterea tu quouis conuiciunculo, animi vilitate, commoueris, & ſtatim properas ad vindictam, cùm tamen Magnanimus omnem negligat contumeliam. Scit offenſionem non eſse offenſionem pati, ſed afferre. Et quoad Magnanimitatem hæc ſatis ſint, dummodò in ijs cures proficere.

Quod ſequitur, pro admonitu tibi ſit Morales omnes præ-

prædictas, ac quæ cogitari poſſint, Virtutes, ideo Virtutes debere appellari, quia ipſarum ſtylobates Prudentia eſt. Nimis facilè ad extrema ruit Mortalitas. Vel etiam inuita delabitur. Eſt Prudentia igitur animi benè compoſiti habitus, qui affectus moderans, eos Rationi ſubijcit, ad hoc vt Homo, donec in Mundo peregrinatur, felicitatem attingat. Iſte habitus duo inter extrema collocatur; Aſtum videlicet, & Imprudentiam. Ille malitia eſt; hæc ignauia. Vtraque detrimentum affert notabile. Vna ni-

miam

miam propter cautelam infamat; altera nimiam propter negligentiam damnum infert. Quiſque amenter quod vellet, aut nollet, prout opinio aſſentitur, euenturum ſibi ſuadet. Hæc porrò monita, quippe quæ nulli innituntur fundamento, facillimè præcipitant. Difficulter has præſentimus deceptiones, deceptio enim, & deceptus hac in re idem ſunt. Hinc imprudens præuiſionis deficientiâ, & vafer verſutâ nimis præcognitione plerunque decipitur. His igitur præiudicijs opponitur Prudentia, quæ

cùm

cùm rerum appetendarum, ac fugiendarum ſit Scientia, Virtutem à Vitio, & Bonum à Malo ſeparat, vt rationis lumine quod vtilius diſcerni in ſuam diſponat electionem. Tantæ eſt nobilitatis hæc Virtus, vt pænè cum Sapientia Virtutum virtute conuertatur. In hoc ſolùm differt, quòd vbi illa ad contemplandum, hæc ad agendũ ordinatur. Humano fax eſt intellectui, vt per vitæ incidens tenebras eã vitet offendicula, quæ ad cæteras progredientem impediunt Virtutes, è quibus vera emanat Felicitas. Vitæ eſt

eſt Nauicularia, quæ ad Bonitatis portum noſtram ducit improbitatem.

Vt Prudentiam conſequamur, duo nobis ſunt neceſſa-ria. Inſtructio ſcilicet, & praxis. Tu nec Virtutem, nec experientiã curas. Si hanc etiam poſſideres, Prudentem te reddere non eſt potis, ſi ab illa iungatur. Nec ipſa à Virtutibus Moralibus, nec hæ ab illa poſſunt ſeparari. En rationem. Proprium harum eſt affectus moderari. Id exequi non poteſt, qui illâ caret. Cùm in intelligentia, & ratione ortum habeat, è Sapien-

tia, ac vniuerſali Aequitate perfectionem nanciſcitur. Quantùm hinc dèmens eſt homo, qui Prudentem ſe putat, cùm tamen tot in nequiſſimos errores incidat. Si, quam ſibi arrogat, Prudentiam poſsideret, in eos ſanè non dilaberetur. Haud vllo pacto ad Vitia diſponere, aut Vitia producere aliqua Virtus poteſt. E' proprijs operibus vera cognoſcitur Prudentia. Sunt hæc (vt meliùs intelligar, & vt aliquam fructus ſtillam mei iam nimiùm concreti relinquant Fletus) non modò omnem huma-

nam

nam felicitatem miſeriam e-
xiſtimare, recto animo agere;
Senſus Rationi ſubijcere, ea
Viſui denegando obiecta,
quæ animum obcæcant; Au-
ditui verba, quæ ſcandalum
menti afferunt; Olfactui fœ-
tores, qui ſpiritum offendunt;
Guſtui ſapores, qui cor vene-
nāt; Tactui mollitudines, quę
animum pelliciunt. Propria
ſunt illius opera non modò
virtutis progreſſus ſibi per-
quirere, libenter ad animi cul-
turam, ac morum diſcipli-
nam applicando, diligenter
ſtudendo, ſciendi deſiderio,
ſolo gloriæ fine; ſed vt verbo

dicam propria illius ſunt opera ſe ab inordinatorum appetituum ſeruitio exſoluere, quorum tyrannidi qui ſe ſubijcit, nequit ad felicitatem, verum beatæ Vitæ obiectum, peruenire. Veruntamen non modò inueniuntur, qui abiecto non ſolùm ſerui nomine, quod Magiſtralibus, ac ſuperlatiuis gradibus, ſeruitium adaugens, vt opprobrium ſibi minuat, aulica cooperit ambitio, contenti incidunt, ſed etiam re ipſa Hominibus, Vitijs inſeruiunt. Iſthæc meherclè viuēdi regula ijs felicitatem impertitur. Cuius corpus, & animus

mus famulantur, huic vera felicitas nequit contingere. Hęc in ſola animi libertate conſiſtit. Nihilominus tu præter hanc, omne aliud curas. Scito indigniſsimum eſſe illud ſeruitium, quod ex electione procedit.

Nunc igitur Ratio tuorum miſereſcens deliriorum ad viriles lacrymas Heraclitum ſine ratione deuinciet? Quòd lacrymas effundam, inſipientem me deridebis? Magis me illudendum cenſerem, ſi ſiccis oculis tuas inſanias poſſem intueri. Propriam teſtari ingenuitatem recuſat, qui his oc-

caſionibus, ac moribus lacrymas denegat. Ecquid meliùs, quàm fletuum nimbi ardorem, qui me tuorum operum odio incendit, poterit extinguere? In tuis erroribus vndique effœminatum te accuſas; Effœminatas quoque mereris lacrymas. Qui iure queritur, tolerantiæ terminos non excedit. Qui lacrymas ex ſeroſo phlegmatis humore generari aſſeuerarunt, ab intolerantis querela me abſoluunt. Animi prudentis eſt paſsiones euaporare, non opprimere. Nequaquam fletus eſt meus hic. Mentem mihi non con-

triſtat,

triſtat, ſed ſerenat. Licèt la-crymæ Cordis ſint proles, Cor ſibi ſubleuat, non lacrymatur, qui ſe ab ijs liberat afflictioni-bus, quibus dum opprimitur, ad dolendum, & alienis mor-bis ſubueniendum inhabilis efficitur. In perturbationum maris ſummitate exultat, non lacrymis immergitur, qui vt alios à gemitibus ſubtrahat ingemiſcit. Præterea, ſi genas humecto, meum eſt munus, tuum eſt crimen. Tuis tu mi-hi vanitatibus amarum cor reddidiſti; amaras igitur ex oculis lacrymas meum eſt transfundere. Si abſque con-
filio,

ſilio, & ratione hæ fluerent, ab ijs, quibus à te grauantur, ignominijs non auderem defendere. Non modò quoad ſe conſiliũ retinent, ſed quoad te conſilium etiam tradere exoptant. Culpâ dignæ quidem eæ ſunt, quas propria fouet affectio; eæ laudabiles, quę alienos tergunt errores.

At dices. Abs re luges, Philoſophe. Ex meæ miſeriæ æſtimatione nonne tuæ ſcaturiunt lacrymæ? Sic profectò. En rationē in oppoſitum. Qui calamitates nil curat, tuamet ſententiâ, calamitoſus non eſt. Ex aduerſo felix erit, qui

feli-

felicem ſe faciet. Ipſe è ſatiſfactionum tam voluntatis, quàm effectuum redundantia mihimet videor beatiſsimus Quibuſnam igitur rationibus, me tanquam miſerum deploras? Iiſdem, quibus me conaris conuincere. Si quod adhuc fleui benè inſpexeris, cognoſces, quòd ſi eædem, quæ tibi felicitates videntur, præparant præcipitia, nonniſi miſerum poſſunt efficere. Alia ex parte, veritatis loco alleganda non eſt opinio. At in tua quoque viuas credulitate, mea negligas præcepta, tua inter ſolamina exultes. Me quan-

tùm libet inſanientem crede. Ego ab hac nunquam deflectar ſententia,

Qui de Humanis calamitatibus malè ſentit,
benè ſentit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Vid.

Vid. D. Inuentius Tortus Pœnit. Cleric. Regul. S. Pauli, pro Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Hieronymo Boncompagno Archiepiſc. Bon. & Principe.

De mandato Reuerendiſs. Patris Inquiſitoris Generalis Bononię *Morales Heracliti Fletus* Nobilis Viri *Io: Franciſci Bonomij Bononienſis* Opus percurri, & magnum me ab illis leuamen retuliſſe refero. Deplorata denique ea omnia ſum gauiſus, quæ aſſiduò deplorabilis deridet Humanitas. Eximiam Chriſtiani Auctoris facultatem! In Gentilis quoque Philoſophi ora Fidelis eloquentiæ flumina introducere, per quæ ad Portum Salutis Catholici Spiritus faciliimè deuehantur. Cœleſtes itaque Zaphiros huiuſmodi Fletus dixerim, quorum auxilio veracium Virtutum limpiditas clariſſimè eniteſcat. His duntaxat humorum imbribus diuinarum fœcunda actionum effici Mortalitas poterat. Dignos ideo, qui, tanquam ſpecula nullis verborum, aut ſenſuum Fidei repugnantium maculis turbida, quorum repercuſſu propriæ prauitatis imaginem Peccator aſpiciẽs, Lacrymas & ipſe effundat pœnitẽtiæ toti Mundo exponantur exiſtimo.

Ego D. Theodoſius Sanutus Pellicanus Bon. Can. Reg. Lat. Sac. Theol. D. Collegiatus.

Imprimatur.

Fr. Ioannes Vincentius de Paulinis. Sac. Theologiæ Magiſter Inquiſitor Generalis Bonon.

FINE

Digitized by Google